


AB

136170

als ^{el} ^{so} ^{wg}
Angehöriger



M. FABII
QVINTILIANI
LIBER DECIMVS, EX-
PLICATVS STUDIO ET
INDVSTRIA

CASPARIS
LANDSIDELII LI-
PSICI.



EXCVDEBATVR LI-
PSIAE A VALENTI-
NO PAPA.

A N N O

M. D. XLVIII.

M. F. A. B. I. I.

Q. V. I. N. T. I. L. I. A. N. I.

P. I. E. R. R. D. E. C. I. M. V. S. H. X.

P. L. I. C. I. T. A. T. V. S. S. T. A. D. I. O. E. T.

I. N. D. V. S. T. R. I. A.

C. A. S. P. A. R. I. S.

L. A. N. D. E. I. D. E. M. I. I. S.

P. S. I. C. I.

1753

E. X. C. V. D. E. R. B. A. T. V. R. I. S.

I. S. S. I. A. E. A. V. A. D. E. N. T. I. S.

N. O. P. A. R. A.

A. N. N. O.

M. D. C. L. X. V. I. I.



EXPLICATIO DECIMI LIBRI M. F. QV.



VM RHETORICA
sit illarum artiũ quæ pra
ctice dicuntur, quia usus
eius non inquisitione nu
da & consideratione tan
tum, sed multo magis a
ctione continetur: idem
in hac, quod in cæteris o
mnibus eiusdem generis accidit, euenire neces
se est, ut nisi longa & frequenti exercitatione
ac consuetudine robur acceperit, sua ipsa imbe
cillitate nihil auxiliij præstare possit, & spem
in agendo magis in futurum, quàm in præsen
tia subsidium certum polliceatur. Nihilq; pro
fuerit magno studio accuratè & diligenter co
gnouisse, quæ de dicendi facultate præceptis
compræhensa sunt, si non assidua meditatio, ex
ercitatioque continua firmauerit, & tanquam
in naturam conuerterit omnia. Quæ cum &
ipsa certa ratione constet, neque sit temerè at
que inconsultè suscipienda, si præscriptum fi
nem consequi debet, ideo Quintilianus præce
ptis inuentionis, dispositionis & elocutionis
hactenus traditis, subiungit hoc libro uia quan
dam

dam exercendi, seu modum assuefaciendi se ad illa praecepta, legendo, scribendo & dicendo, hisque uelut generibus totam hanc rationem contineri ait. Estque propositio. Nunc dicemus quomodo is qui praecepta cognouerit, uti illis quam optime & quam facillime possit: Principio autem ponitur ratio. Praecepta enim per se non sufficiunt, nisi in his usurpandis habitus quidam accesserit. Deinde assumptio. Habitus autem seu utendi facilitas acquiritur non dicendo solum, sed legendo quoque & scribendo simul. Assumptioni annectitur probatio. Sunt enim illa tria ita inter se coniuncta, ut alterum sine adminiculo alterius non queat consistere. Quia autem de singulis ordine agendum est, & ea quae imprimis necessaria sunt, postremo loco ponuntur à Quintiliano, obiter hic inseritur $\pi\rho\acute{o}\lambda\eta\psi\iota\varsigma$. Inde sequitur connexio, continens eam, quam dixi, propositionem. De his igitur, quibus facilitatem in agendo consequimur praecipiemus.

Sed haec eloquendi praecepta) Superioribus libris tradita. Transitio.

Firma facilitas) Prompta ac parata celeritas, quae sit conformata iudicio & consuetudine agendi acquisita. Id enim uocarunt $\epsilon\zeta\iota\upsilon$, etiam hi qui Latine transtulerunt habitum. Cice-

ro propius, ut uidetur, ad sententiam Quintilianianam Consuetudinem dixit, li. 2. de Orat. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur.

Εξίς) Alij λέξις legunt, quæ est eloquutio apud Aristotelem in 3. de arte Rhetorica. Nam λέξις significat ordine dicere, oratorie loqui, concionari.

Si quid ex his defuerit) Alij: Si qui flexus iisdem defuerint. eodem sensu. id est, Si aliquid in his tribus omissum fuerit. uel si non plenam operam singulis impenderis, nequicquam in reliquis duobus laborabis. A luctatoribus sumta Metaphora, qui in cognoscendis præhendendis & nectendis modis, oleum atque operam perderunt, si aliqui eluctandorum nexuum numeri defuerint, qui flexus dicuntur uelut elusiones luctæ, Græci καμπὰς & λυσιµοὺς uocant, quibus alter alterius nexus artificiosè contortis & deflexis corporibus euadere conantur, ut Aristophanis interpretem secutus, tradit Budeus.

Fluitabit) Id est, incertus uagabitur. Oportet enim nos ad exemplum aliquod imitando dirigere stylum, si de profectu nostro certi esse uoluerimus. Est elegans translatio à re nautica. Atque sic commodius fortasse quam fluit ut uulgò legitur. Cicero pro Sestio: Cum uerò in hanc Reipublicæ nauem ereptis senatui guber-

naculis, fluitantem in alto tempestatibus seditionum & discordiarum.

In procinctu) Id est, expeditam. Translatum à militibus, qui dimicaturi ut essent expeditiores succincti in prælium ibant, quia antiqui Romani togis pugnasse traduntur. Et mutato etiam, habitu postea cingulum militare uelut insigne militiæ, quo cincti more maiorum uiderentur, retentum fuisse, constat ex L. si quis in conscribendo. C. de pactis.

Clausis thesauris incubabit) Cognitionem artis Oratoriæ ad usum transferre nõ poterit.

Initium) Crassus apud Ciceronem: Non eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. Nam cum uiderent homines quædam in dicendo utilia esse, quædam inutilia, ex obseruatione earum rerum effecerunt artem.

Omnes numeros) Id est, absolutam & perfectam artem, siue (ut in 2.) omnia quæ sunt eius certaminis. Vide Aristot. lib. 3. Rhet. cap. 16. Non ergo) Primum exercitij genus est lectio sub qua & auditio continetur. Ex hac nobis copia uerborum cum iudicio paranda est, ut sint in promptu ubicunque usus postulabit.

Singulæ) Id est, si singulæ res haberent sua certa & quasi definita uocabula.

Sed cum sit) Verborum genera discernit.

Magis propria) Vide cap. 3. lib. 8.

Iudicio)

Iudicio) Id est, cum se non diu quæsitâ obtulerint, ut iudicare de ijs, qui dicit, possit.

Equidem scio) Repræhendit eos qui collectione synonymorum stultè affectant copiam, uerum hîc cogitandum est nostris temporibus in ista studiorum imbecillitate, & si illis prioribus seculis conferantur, difficultate maxima, nõ esse inutilem, nec magnopere repræhendendam hanc operam colligendi synonyma, delectus modo aliquis & iudicium adhibeatur.

Effugiendæ repetitionis gratia) Id est, ad uitandam ταυτολογία.

Circulatoriam uolubilitatem) Id est, uulgarem, futilem, eorum scilicet, qui se uulgo & imperitæ multitudini uenditant, atque in circulis disertis uideri uolunt. Quorum oratio qualis sit, explicat copiosè, cap. 14. lib. 2. & alibi, cum inquit, Extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, & uix surgendi mora circulatoriæ ferè iactationis est.

Scriptores Iamborum ueterisq; Comœdiæ) Iambographi & Comici ueteres, poëtæ maledici erant, qui conuitijs homines proscindebant & magna acerbitate notabant quoslibet, qualis Archilochus fuit, cuius libros Lacædemonij propter obscœnitatem ciuitate eiecerunt: Et Eupolis, qui ab Alcibiade nauigante in Siciliam in mare præcipitatus fertur. Valer. lib. 6. & Cic. ad Att.

Nostrum opus) Id est, quid oratorem maxime deceat. Oratoribus enim longe recedendum ab omni obscenitate & uerborum & sensuum, quaedam enim satius est causae detrimento tacere, quam uerecundiae dicere. Sene. lib. 2. Controvers. & Quin. supra li. 8. et li. 6. cap. 3.

Videntur sordida) Velut humilia & uulgaria splendidis inserta, uere enim sordidis nunquam in oratione erudita locus est, Sup. lib. 8.

Formas) Id est, deriuationes, tropos.

Mensuras) Id est, significationis quasi terminos.

Auribus accipiamus) Ad eundem modum Aristoteles scripsit, audire primum pueros, loqui deinde. At, lib. 3. Quintilianus sermonem ait ab ipsa natura genitos protinus homines accepisse. Explicat haec Caelius Rhodig. li. 29. cap. 14.

Iussu regum) Psametichus rex Aegypti, cupiditate cognoscendi qui primi hominum extitissent, pastori cuidam, uel, ut alij scripserunt, nutricibus quarum linguas praeciderat, duos infantes omni sermonis commercio amoto tradidit educandos, ut quam primam uocem emitterent, quibusue uerbis uterentur, sciri posset, compertum igitur est eos, biennio exacto, Βερονος clamasse, quo uocabulo, quia Phrygum lingua panem significari constabat, primos omnium Phryges natos ratiocinabatur Herodot. lib. 2.

Sunt

Sunt autem alia) Synonimorum uariam rationem exemplis declarat. Vocabula alia simpliciter, alia ἑσπικῶς eandē rem referunt ἡ σωκεδ' οχλῶ, κατ' ἀχρησιμ, πρὸς ἴφρασιμ, ἰσοδωαμίαν, μεταφορᾶν. Erasmus hinc fere sumpsit, quæ de uerborum copia scripsit disertissime, ab eo loci huius explicationem uberiores petas licebit.

Sicarios) Cum appellatio ista conueniat his qui sica, genere scilicet gladij breuioris uelut pugione, hominem interfecerunt.

Pressi copia lactis) Periphrasis casei, apud Virg. eclog. 1.

Sed ut copia) Non uerborum tantum gratia legendum est, uel audiendum, sed ut & aliarum rerum quæ in oratione requiruntur, exempla cernamus, ea namque ad docendum efficaciora sunt ipsis præceptis.

Alia uerò) Collatione commoditatum quibus lectio atque auditio inter se inuicem excellent, colligit, hanc quidem ad mouendum animū uim habere maiorem, illā siue iudicare de singulis, siue repetere sæpius uelimus, aptiorem esse.

Ambitu) Id est, artificiosa comprehensione atque explicatione rerū ad aucupandā gratiā.

Viuent enim) Plin. Nepoti. Multò magis, ut uulgò dicitur, uiua uox afficit. Nam licet acriora sint quæ legas, altius tamen in animo sedent,

quæ pronuntiatio, uultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit.

Nec fortuna modo iudicij) Id est, non solum suspensi exitum iudicij expectamus, sed etiam Oratorum dignitatem, & existimationem periclitari spectamus anxij, atque ipsorum sollicitudine commouemur.

Pronunciandi uel potentissima in dicendo ratio) Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt, & disertis deformitate agendi multi infantes putati sunt, ut non sine caussa Demosthenes tribuerit & primas & secundas & tertias actioni. Cic. in Orator. & Bruto. Quintilian. infra lib. 11. cap. 2.

Viciosa pluribus placeat) Lib. 1. Vnde enim tantum boni, ut pluribus, quæ recta sunt placeat.

Corrogatis) Asinius Pollio, primus apud Romanos, scripta sua aduocatis amicis recitauit ad exploranda, ut apparet, eorum iudicia. Quod exemplum plures imitati, consuetudinem eius rei effecerant. Datum hoc postea ambitioni, ut frequentissimi non tam ad audiendum, quam ad laudandum confluere, mutuam operam prestantes, donec id uelut debitum officium requiri coepit. de quo conqueritur Iuuenalis satyr. 1. Et Horatius inquit:

Hic sponsam uocat, hic auditum scripta relictis
Omniibus officijs.

Dehinc

Dehinc cum tribunalia etiam desererentur, propter eorum qui causas agebant, uel infantiam, uel imperitiam, artificium illud corrogandi auditores deductum est in forum à Larcio Lincinio Quintiliano adhuc adolescente. Cúmque in eo parum esset praesidij sportularum, mercede conducti sunt, & redempti qui sequerentur, & orantibus succlamarent magna uoce σοφός doctus, acutus, aut circumflexa posteriore syllaba σοφῶς, scité, sapienter, docté, acuté. Idq; ex more nationis Græcorum in adulationem promissimæ. Hinc Martial. lib. 1.

Mercetur alius grandè & insanum sophos.

Et Claudianus in Alethum:

En moueo plausus & pallidus omnia laudo.

Et clarū repeto térque quaterque sophos.

Illi uerò ipsi actores σοφοκλῆς per iocum nominati, ἀπὸ τοῦ σοφοῦς καλεῖσθαι, Latino uocabulo Laudicæni, quia cæna pacta laudari se iuberent. Quo allusit Martialis in 6. (ta,

Quod tã grande sophos clamat tibi turba toga

Non tu Pomponi cæna diserta tua est.

Vide Plini. Cæcil. lib. 2. & Bude. in annota. in pandect.

Gratiam non referat) Id est, optimè dicta non laudent, siue quod talia esse minimè iudicant, siue quod liuore prohibentur.

Transcurrit) sic ut apprehendere omnia ne
quea=

queamus, & multò minus de singulis indicare. Verissimèque Seneca dixit, actionem multas habere latebras, nec facile posse, si quo loco subtilitas fuerit apparere, cum orationis cursus iudicium audientis impediat, dicentis abscondat.

Repetamus) Lectionem sæpe repetitam prodesse, ostendit similitudine sumta à cibus.

Ac diu) Optimos esse legendos & sollicitudine tanta, ac si caussa similis scribenda esset. In quo plurimum proderit summam negocij tenere, & contrarias actiones cognouisse, ut uniuersam orationis structuram & singularum partium collationem propius contemplemur. Verum iudicio nihilominus probanda sunt quæ legeris, neque autoritati nimis fidendum.

Optimis) Stultissimum est enim ad imitandum non optima quæq; proponere. Plini.

Dissimul.) Quia uel alio loco dicuntur commodius, uel parum cōducunt, aut etiam obsunt caussa.

Insidiatur) Vt quasi aliud agens, irreat in animos iudicum.

In summa) Id est, in uniuersum, ad summam negocij.

Aspernate) Aspernate rectius fortasse legitur, ut apud Plinium, Suetonium, Corn. Tacitum, Senecam. Hunc Aspernatem Nonium ueneficij caussam dixisse sub Augusto, autor est Suetonius.

tonius. Plini. lib. 35. Vitellij ueneno Asprenati reo Cassius Seuerus accusator obijciebat inter= ijsse CXXX. conuiuas. Ex oratione Cassij hoc dictum reprehendit Quintilianus, Di boni uiuo et quo me uiuere iuuet, Asprenatē reum ui deo. Asprenatis declamatoris meminit Seneca.

Litium questionem) Id est, summam in qua caussa uertitur. lib. 3. cap. 13.

Q. Ligar.) Hanc caussam cum non obtinuis set Tubero, ad iuris ciuiliis studium se contulit: Pompon. in l. 2. ff. de orig. tur.

Calidius) Calidiū inter singulares oratores sui seculi refert Cicero, tribuitque illi elegans & suaue orationis genus, cum ad docendū, tum ad delectandum accommodatum, permouendi atque incitandi uim in eo desiderat.

Falso exijt) Asconius in oratione pro Mil. Cum quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro R. P. fuisse, quam formā M. Brutus secutus est in ea oratione quam pro Milone composuit & edidit, quamuis non egis= set Ciceroni id non placuit &c.

Crispi Passieni) Passienum uirum eloquen= tissimum atque temporis sui primum Orato= rem uocat Seneca, floruit sub Tiberio.

Oneri cedunt) Id est, difficultatem rerum ingenio consequi nequeunt.

Indulgent) Quod uicium notatur in Ouidio infra.

Inten=

Intendunt animum) Id est, summam diligentiam adhibent.

Dormitare) Id est, negligentior esse. In Orat. Vsq̄ adeo difficiles & morosi sumus, ut nobis nō satisfaciāt ipse Demosthenes, qui quam unus eminet inter omnes, in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas.

Horatio) In arte Poëtica.

Quandoque bonus dormitat Homerus
Verum opere in longo fas est obrepere somnū.

Summis enim) Excusatio erroris.

Deteriora imitentur) Tales describit Seneca imitatores paulò post. Et Horatius de simili peruersitate præclare cecinit, Decipit exemplar uitij imitabile. Et. O imitatores seruum pecus, ut mihi sæpe Bilē, sæpe iocum uestri mouere tumultus.

Modesto) Non est temere iudicandum de magnis uiris.

Plurimum) Quia optimum quenque legendum præcepit, ne quis putet id hoc loco ad omnes scriptores referendum esse, ideo nunc genera quædam constituit eorum, qui ad faciendam φεξις, & parandam facilitatem legendi sint, & quid ex unoquoq; genere utilitatis capiendum, quidque incommodi uitandum sit monet. His generibus postea subiicit insignes Græcos primum, deinde Latinos autores, & præcipuas

puas singulorum uirtutes, interdum etiam uitia demonstrat.

Poëtarum) De lectione Poëtarum Cicero: Legendi sunt Poëtae, nam etiam Poëtae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud quo ipsi differrent ab Oratoribus, numero maxime uidebantur antea, & uersu, nunc apud Oratores iam ipse numerus increbuit.

Licentia figurarum) Cicero: Ego autem etsi quorundam grandis uox est Poëtarum, tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis faciendorum iungendorumque uerborum, tum etiam nonnullorum uoluptati uocibus magis quam rebus inseruiunt.

Solā uoluptatem) Namq; hæc duo Musici qui erant quondam iidem Poëtae, machinati ad uoluptatem sunt, uersum atq; cantum, ut & uerborum numero & uocum modò delectatione uincirent aurium facietatem, Idem Cicer.

Armatos) Id est, oratione instructos, quam armorū uocabulo etiam Cicero significat, cum inquit: Quid tam necessarium quam tenere semper arma, quibus uel tectus ipse esse possis, uel prouocare improbos, uel te ulcisci laceßitus.

Acie) Id est, Forensi certamine. (ratione.

Decernere) Id est, decertare, contendere o-

Arma squalere situ) Id est, orationem esse horridam, inornatam, impolitam. Etsi enim ad
seria

seria certamina comparatam orationem Oratoris, grauem ac propriam imprimis esse oporteat, tamen elegantia carere non debet, & ornatum requirit uirilem, ut non tam afficiantur inani uoluptate illi qui audiunt, quã pulchritudine decenti permoueantur. Quintilianus passim orationem sui seculi delitijs diffluentem ad pristinam grauitatẽ & seueritatẽ reuocare conatur.

Molli iucundóque succu) Idem præcipit Cicero cum inquit, ab historicis non multò secus quàm à Poëtis hæc eloquentia quam quærimus seuocanda est. Aliud enim est explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari criménue dissoluere, aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. Et Plinius Cæcilius historiam ab oratione peracutè separasse mihi uidetur, cum ait: Habent quidem oratio & historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis quæ communia uidentur. Narrat illa, narrat hæc, sed aliter, huic pleraq; humilia & sordida, & ex medio petita, illi omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt: hanc sæpius ossa, musculi, nerui: illam tori quidam & quasi tubæ decent: hæc uel maxime ui, amaritudine, instantia: illa tractu & suauitate et dulcedine placet. Postremò alia uerba, alius sonus, alia constructio.

Totúmque opus non ad actum rei, pugnamque

que presentem &c.) Respexit ad illud Thucidi-
didis in proœmio, κτῆμα τε ἐς ἀεὶ μάλλον, ἢ
ἀνώνισμα ἐς τὸ πρῶτον ἀκούειν ξύγκειται.

Vt dixi) lib. 4. de narratione.

Lactea ubertas) Id est, candida, pura, in qua
nihil sit sordium.

Speciem) Id est, qui non quomodo, sed quid
dicatur attendit, neque delectari copiosa ora-
tione, sed breuiter doceri cupit.

Adde quod) Autoritate cōfirmat ex maiori.

Thucididen aut Xenoph.) In Orat. Thuci-
dides aut res gestas & bella narrat, & prælia,
grauiter sanè & probè, sed nihil ab eo transfer-
ri potest ad forensem usum. Et paulò pòst. Na-
ctus sum etiam qui Xenophontis similem se es-
se cuperet, cuius sermo est ille quidem melle dul-
cior, sed à forensi strepitu remotissimus. At
Demosthenes tantopere probauisse Thucidi-
dem fertur, ut eum octies descripserit, ac totum
penè edidicerit, autore Dionisio Halicarn:

Bellicum canere &c. Verba Ciceronis sunt,
Alter & de bellicis rebus canit etiam quodam-
modo bellicum. Et Xenophontis uoce Musas
quasi loquutas ferunt.

Digressionibus) Id est, in tractationibus re-
rum alienarum quæ ad utilitatem causæ extra
ordinem adhibentur. lib. 4. cap. 3.

De quibus erat quæstio) Id est, in rebus pro-
prie

B

prie

prie ad caussam pertinentibus.

Non Athletarum toris sed militum lacertis
 &c.] Id est, Oratori magis bonam quam pin-
 guem carnem conuenire. Athletæ lege quadam
 ciborum corpora ualida ac torosa reddebant,
 quod erat robur uelut accersitum atque ad ia-
 ctationem comparatum Milites firmitate mem-
 brorum naturali pro salute ac fortunis dimica-
 bant. Usitatissima est à corpore humano ad ora-
 tionem tracta similitudo.

Versicolore[m] uestem] Id est, ornatum ora-
 tionis uarium & exquisitum nimis, Est enim or-
 natus orationis uestitus. Cic. in Brut. sed ea ue-
 stitu illo orationis quo consueuerat, ornata non
 erat.

Demetrii] Cicero enumeratis præcipuis Græ-
 corum Oratoribus, in quibus naturalis fuit, non
 fucatus nitor, Phalereus, inquit, successit eis se-
 nibus adolescens eruditissimus ille quidem ho-
 rum omnium, sed non tam armis institutus quàm
 palestra, itaque delectabat magis Athenienses
 quàm inflammabat, processerat enim in solene
 & puluerem, non è militari tabernaculo, sed ut
 è Theophrasti doctissimi hominis umbraculis.

Non bene ad forensem puluerem facere] Id
 est, non conuenire certaminibus iudiciorum. Ci-
 cer. in Orat. Est quoddam etiam insigne & flo-
 rens orationis pictum & expolitum genus, in
 quo

quo omnes uerborum, omnes sententiarum illi-
gantur lepôres, Hoc totum è Sophistarum fon-
tibus defluxit in forum, sed Bretum à subtili-
bus, repulsum à grauibus, in ea de qua loquor
mediocritate consedit.

Præsentem locum] In quo de genere oratio-
nis agitur, sed ad tractationem probationum in
libro quinto.

Instructus esse debet Orator] Cic. Tenenda
omnis antiquitas, exemplorúmque uis. Comme-
moratio enim antiquitatis, exemplorúmque pro-
latio, summa cum delectatione & auctoritatem
orationi adfert & fidem, lib. 1. de Orat. ad Q.
Fr. & ad Brut.

Hoc potentiora] Id est efficaciora ad fidem
faciendam.

Cesserunt] Vetus enim illa doctrina eadem
fuit, & rectè faciendi, & benè dicendi magi-
stra, neque disiuncti doctores, sed ijdem uiuendi
præceptores, atque dicendi erant. Postea disso-
ciati à Socrate, disertis à doctis & deinceps à
Socraticis item omnibus, Philosophi eloquen-
tiam despexerunt, Oratores sapientiam, neque
quicquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod
illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur. Cicer. de
Orator. & Quintil. in proœmio operis.

Altercationibus atque interrogationibus]
Qui cum à Socrate accepissent, nihil certò sci-

ri posse, ad imitationem illius contradicebant omnibus, atque acutis & captiosis interrogationibus circumueniebant aduersarios, Quem morem retulit Plato in dialogis. Vide Cicer. in Academ. & lib. 1. Rhet. Quintil. lib. 5. cap. 11

Credo exacturos] Est uelut proœmium censure de autoribus, quo instituti illius ratio continetur.

Illos] Qui ætate Ciceronis fuerunt.

Liuium in epistolis] Epistolæ illius meminit & lib. 2. cap. 6.

Vetustatem pertulerunt] Id est, qui iudicio posteritatis probati durauerunt. Cic. Ut ea uina quæ uetustatem pertulerunt. supra. lib. 2. sic ferent annos & uetustate probabuntur.

Arte carentibus] Sicut de Ennio Ouidius scripsit, Ennius ingenio maximus arte rudis.

De nobis] siue ut alij, de nouis, id est, recentioribus, paucos scilicet uel potius uix ullam reperiri &c.

Si quis est] Id est, si est aliquis qui id non contenderit.

Constet experim.] Id est, quam ut in eo cognoscendo multum temporis inutiliter teramus.

Ῥητορικὴ] Id est, eloquutionem, genus orationis.

Nam quidam solos &c.] Opiniones de legendis autoribus ortæ ex iudicio diuerso de optimo

ptimo genere dicendi. Vide Cic. in Orat. & Tacit. in dialogo de Oratoribus.

Recens lasciuia] De qua Messala apud Cornel: Tacitum, ad hunc modum. Neque enim Oratorius iste, imò hercle ne uirilis quidem cultus est, quo plerique nostrorum temporum actores ita utuntur, ut lasciuia uerborū, & leuitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos exprimāt, quòdque uix auditu fas esse debeat, laudis & gloriæ & ingenij loco plerique iactant, cantari, saltariq; cōmentarios suos.

Attica] Inter genera dicendi Atticum imprimis laudatur, adeo ut quicquid eruditum est, ac uenustum, id Atticum uocetur, unde & Xenophon propter orationis suauitatem, Attica Musa dictus est. Cicero ipsas Athenas ait Demosthene non fuisse magis Atticas, quem qui imitetur, illum uerè quidem Attice atque optimè dicturum. In quocunq; tamen genere dicendi probato qui eleganter appositè, ornatè disserat, eum Atticorum eloquentiam æmulari. In Bruto & de optimo genere Orato.

Differam] lib. 12. cap. 10.

Igitur] A poëtarum lectione orditur, siue quod hi eruditorum primi extiterūt, siue quod ad formandam linguam initio rectè proponuntur. Nam & Horat. ait.

Os pueri tenerum balbūmque poëta figurat.

Aratus ab Ioue] Εκ δ' ἰός ἀρχώμεθα, τὸν οὐδέ ποτ' ἀνδρῆς ἐῷ μὲν. ἄρρηκτον. *Et Virgilius: A Ioue principium Musæ.*

Ex Oceano dicit] Iliad. φ.

τῷ οὔτε κρείων Ἀχελῷϊ Θ' ἰσοφάρizei.
οὐδὲ βαθυρρεῖται μέγα δέν Θ' ὠκεανοῖο
ἐξ οὐπὺ πάντες ποταμοὶ ἢ πᾶσα θάλασσα
καὶ πᾶσαι κρήναι, ἢ φρεῖατα μακρὰ νάσσιρ.

Quos uersus ita reddidit Eobanus:

*Cui neq; conferri præstans Achelous aquarum
Optimus, aut magni possunt amplissima Nereï
Numina, qui fluuios, fontes, uada, stagna, palu-
Ex sese generans omnes facit.* (des,

*Omnibus eloquentiæ &c.] Allusio elegans,
unde & parens eloquentiæ nominatur à Colu-
mella. Et Manilius de eodem ait: Cuiusque ex
ore profuso*

*Omnis posteritas latices in carmina duxit
Amnēque in tenues ausa est deducere riuos.
Vnius fœcunda bonis.*

Exemplum] Ab Homero & præcepta dicen-
di & exempla petita sunt.

Hunc nemo] Decorum, in oratione rebus ac-
commodata.

Idem] Genera dicendi.

Letus ac pressus] Id est, exuberans, copio-
sus, ornatus, & proprius, breuis, attenuatus.

Nam ut de laudibus] Causarum genera.

Affes

Affectus] Ratio mouendi affectus.

Illos mites] Affectus hos concitados τὰ ἄθρα, illos mites atque compositos ἡθρα esse dixerunt lib. 6. & Cic. in Orat.

In sua potestate habuisse] Vt quandocunq; uideretur commodum, his uti posset.

Age uerò] Dispositio. Et primum exordij le Narrare] Narratio. (ges.

Mortem Patrocli] Iliad. 17.

Iam similibus] Contentio.

Nam epilo.] Peroratio.

Quid in uerbis] Eloquutio. οἰκονομία.

Priami regis] Iliad. 24.

Epicos] Id est, Heroici carminis scriptores.

Nam epos heroicum carmen dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπεδοῦ ἐν αὐτῷ τὰ ἐξῆς μέρη τοῖς πρώτοις, quod primas partes eius, ceteræ insequantur, ut tradit Victorinus.

Occupata] In δεογονία. Hesiodum Homero subiungit. Manilius quoq; opera illius referens his uersibus:

sed proximus illi

*Hesiodus memorat diuos, diuumque parentes
Et chaos enixum terras, orbemque sub illo
Infantem & primum titubantia sidera corpus
Titanas iuuisse senis cunabula magni
Et sub fratre uiri nomen, sine fratre parentis,
Atq; iterum patrio nascentem corpore Bachū*

B 4

Omnia

Omniâq; immenso uolitantia numina mundo
 Quin etiam ruris cultus legesq; rogauit.
 Militiamq; soli, quod colles Bacchus amaret,
 Quod fœcunda Ceres campos quod Bacchus u-
 trunque,
 Atq; arbusta uagis essent quod adultera pomis
 Siluarumq; deos, sacratâque numina Nymphas
 Pacis opus magnos naturæ condit in usus.

Antimacho] Tres fuere Antimachi Poëtæ,
 sed inprimis clarus Colophonius. Thebais il-
 lius celebratur, opus prolixum & obscurum,
 ad cuius imitationem scripsisse Statiũ uerisimi-
 le est, Cicer. in Brut. Antimachus cum conuoca-
 tis auditoribus legeret eis magnum illud, ut no-
 uistis, uolumen suum, & cum legentem omnes
 præter Platonem reliquissent, Legã, inquit, ni-
 hilominus, Plato .n. mihi unus instar est omniũ.

Minime uulgare] Id est, sublime, Catullus ob
 hoc tumidum uocat. At populus tumido gau-
 det Antimacho.

Aliud secundum] Significat eum longissimè
 ab Homero abfuisse, etiam si inter alios primus
 ei locus post Homerum tribuatur à Criticis.

Panyasin] Panyasis Halicarnasseus non solũ
 Poëta clarus, sed & prodigiorũ interpres fuit.
 Scripsit Heraclida & Ionica, uixit eo tempore
 quo apud Cremeram gens Fabia propè deleta
 est. Euseb. in Chronicis.

Vtroq;]

Vtroque] Hesiodo & Antimacho.

Apollonius] Alexandrinus, postea dictus Rhodius, cum Rhodi diutius fuisset uersatus, successor Eratosthenis in praefectura Alexandrinae bibliothecae, uixit sub Ptolemeo Euergete, scripsit Argonautica, Virgiliū ab hoc quaedam transtulisse in librum quartum Aeneidos, obseruarunt Grammatici.

Poëtar. iudic.] Critici. Tres insignes Poëtarū censores memorantur eiusdē aetatis. Crates Malotes, Aristarchus Alexandrinus, & praceptor illius Aristophanes Byzantius, docuerunt Alexandriae sub Ptolomeo qui Philometor dicebatur. Quidam tradiderunt à Pisistrato quosdam insignes Grammaticos, Athenas uocatos, & primos Poëtarum iudices constitutos, cum esset lex à Solone lata de emendando Homero. De quorum autoritate uide cap. 5. lib. 1.

In numerum] Eorum quos ipsi probauerūt.

Arati] Aratus Pomperopolitanus scripsit Phænomena, uersa à M. Cicerone, Germanico Caesare, Ouidio. Sex. Rufo. Astrologiam praeterea & Astrothesiam. Hymnos, Anthropogoniam, & alia quaedam, Cicero uersus illius ornatisimos atque optimos uocat. Vixit sub Antigono Macedoniae rege.

In suo genere] Id est, in poëmate Bucolico, in quo eum imitatus est studiosissime Virgilius,

B 5 . sed

sed eruditorum iudicio illā subtilitatem Græcæ
linguæ consequi in Latino sermone non potuit.

Vrbem] Hinc in Virgilium prauè illud de-
tortum est à maleuolis, Dic mihi Damæta cuium
pecus, an ne Latinum? Non, uerum Aegonis, no-
stri sic rure loquuntur.

Pisandros] ΕΚΛΑΨΙΣ, Deest enim cecinit, uel
descripsit aut simile. Pisandrum Poëtam Rho-
dum scripsisse Heracleam tradit. Strab. lib. 14.
& Macrob. lib. 5. autor est, ex opere Pisandri
transtulisse Virgilium quæ de Troiæ deuasta-
tione retulit in Aeneid.

Nicander] Qui se Clariū ipse uocat in fine
operis. Alij Colophonium appellarunt, fortè
propter locorum uicinitatem, Cic. lib. 1. de Ora-
tor. Si constat de rebus rusticis hominem ab a-
gro remotissimum, Nicandrum Colophonium
poëtica quadam facultate non rustica scripsisse.
Multa is edidit quæ temporum iniquitate inter-
ciderūt. Theriaca & Alexi pharmaca extant,
uixit sub Attalo iuniore.

Euphorionem] Euphorion Chalcidësis. Pro-
bus ait huius in scribendo colorem secutū Cor.
Gallum. claruit eo tempore quo Romani cum
Pyrrho rege bellum gesserunt. Fuit præfectus
bibliothecæ apud Antiochum magnum regem
Syriæ, composuit libros quinque ex oraculis mil-
le annorū & Mopsopiam. Eius obscuritatē no-
tat Cic. lib. 2. de diuin. Chal

Chalcidico] Ibo & Chalcidico quæ sunt mihi condita uersu Carmina &c. Ecloga 10.

Subiungit] In arte, post hos insignis Homerus: Τίρταῦσϑ; mares animos in Martia bella Versibus exacuit. Eum ducem belli contra Messenios ex oraculo petitum à se Athenienses misere Lacedæmonijs, quo ipsi egregiam uictoriam consequuti sunt. auto. Iustino lib. 3. & Strabon. lib. 8. Carmina uerò illius, quia animos iuuentutis ad bella inflammabant, πολεμιστήρια μέλη appellata traduntur, In Elegia præcipue claruit.

Nec sanè] Excusat se quòd ex ijs Poëtis qui celebres habentur plurimos omittat. Et est subiectio.

Dixerim] Suprà. Vix enim ullum ex ijs qui uetustatem &c.

Perfectis uiribus] Id est, confirmato & constituto certo dicendi genere, seu parata iam firma facilitate.

Callimachus Philetas] Callimachus Cyrenus. Floruit Ptolomei Philadelphi & Euergetis temporibus, scripsisse traditur circiter octoginta uolumina, de quibus extant Hymni & per pauca alia. Illius elegiæ amatoriæ, sicut & Philætæ Coi celebrantur à Propertio & Ouidio.

Multa magis quàm multorum] Plin. ad Fuscum. Tu memineras sui cuiusque generis autores

res

res diligenter eligere. Aiunt enim non multa legenda, sed multum.

Tribus receptis] Illustria sunt duorum Iambographorum nomina: Archilochi & Hipponactis, his tertium, alij Ananium, alij Simiam Rhodium adiiciunt. Archilochum Parium uixisse sub Gige & Candaule, Herod. lib. 1. tradidit. Cicero, regnante Romulo. Cor. Nepos, Hostilio regnante. Eusebius XXVIII. Olympiade. Hic in Licamben socerum adeo debacchatus est, ut ad suspendium eum compulerit. Horat. lib. 1. epist. & in Epod. Hipponactis etiam celebratior est mordacitas, mutauit is Iambicum Archilochium, ut acrius insectaretur inimicos, Terentia: de metris.

Vibrantes] Id est, concitatae, ut uelut impetu quodam ferantur ad ledendum. Hinc Catullus de hoc genere inquit: Desissimque truces uibrare Iambos.

Lyrico] Lyricum carmen à Lyra nomen accepit, ad quam accommodatum accinebatur. Materiam illius definit Horat. in arte.

Musa dedit fidibus diuos, puerosque deorum
Et pugilem uictore, & equum certamine primū
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Nouem] Sunt autē Alcaeus Mitylenius, Sappho Lesbia, Stesichorus Siculus, Ibycus Rhegius, Anacreon Teius, Pindarus Thebanus, Simonides

nides Iulices, Bachilides Chius, Alcmaeon Lydi-
us, Extat. de his elegans epigramma Græcum
eiusmodi.

(πνᾶ
ἐκλασεν ἐκ θεῶν μέγα πίνδαρος, ἔπνεε τῶ
ἠδ' ὑμελιφθόγῳ μῦσα σιμωνίδεω.

Λάμπρ' σκίχ' οἴοσ' τε κ' ἰβυκῶν ἤν γλυκὺς
ἄλκμαρ, (λίδαρ.

Λαρὰ δ' ἀπ' ἰσμάτων φθέγγατο βακχῶ
παθὼ ἀνακρείοντι σωέσπετο, ποικίλα δ'
αὐδ' ἄ

ἄλκαϊκῶν κύκνω λέσβικῶν αἰολίδῃ.
Ἄνδρῶν δ' οὐκ ἔνάτη σαπφῶ πέλεν ἄλλ' ἔ-
ρατειναῖς

Ἐρμούσαις, δεκάτη μῦσα καταγράφεται.

Pindarus] De præstantia & monumentis huius
ius Poëtæ Horat. lib. 4. carmin. Decem & se-
ptem libros quorum nomina recensent Gram-
matici scripsisse fertur, de quibus extant qua-
tuor Græcorum certaminum.

Nemini imitabilem)
Pindarum quisquis studet æmulari
Iule, cærat is ope Dædalea
Nititur pennis vitreo daturus,
Nomina ponto.

Clarissimos canentem] Horatius propterea
graues Stesichori camænas uocat.

Lyra sustinentem] Id est, res conuenientes
grauitati carminis Heroici, metro lyrico tra-
stantem

stantem. Siue potius ipsum carmen Epicum accommodantem ad lyram, quia sequitur, uidetur æmulari proximus Homerum potuisse, quò non obscure significatur, ipso genere carminis, quãdam inter eos fuisse similitudinem. Plutarchus uerò Stesichorum Olympij leges sequutum, qui dactili forma est usus, his uerbis refert in libello de Musica. Οὐ δ' ἔστιν ὀλύμπου ὁ ἄρματι νόμος ἐκ τῆς γλαυκῆς ἀναγραφῆς τῆς ὑπὲρ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν, μάθοι ἄνεις, ἢ ἔτι γνοίη, ὅτι σκίχου ὁ ἡμεραῖος οὔτε ὄρφέα οὔτε τέρπανδρον, οὔτε ἀνιλόχορον, οὔτε δαλήταρ ἐμιμήσατο, ἀλλ' ὀλυμπου, χρυσάμηνος τῶν ἀρματίω νόμω ἢ τῶν ἡπιδάκτυλον εἶδει, οἱ τινες δὲ ὀρθίον νόμον φασὶν εἶναι. In Phædro Platonis Socrates adducit uersus Stesichori e Palinodia Helenæ.

Copiæ uitium est] Et propterea tollerabilius. Sic lib. 2. Vitium utrumque: peius tamen illud quod ex inopia quàm quòd ex copia uenit. Peccat enim & qui excedit materiam, et qui nõ implet, hic imbecillitate, ille uiribus, Quod certe etsi non limatiore, maioris tamen ingenij iudicium est. Plin. Cæcil. lib. 1. & Cicer. lib. 2. de Orator.

Aureo plectro donatur] Ab Horatio scilicet, Sic enim inquit: Et te sonantem plenius aureo, Alceæ plectro dura nauis. Dura fugæ mala dura

la dura belli. Estq; sententia, Alcæus merito fertur aureo plectro usus in parte operis, qua tyrannos insectatur propter excellentiam carminis illius, quia sequitur in Horatio:

Sed magis pugnas & exactos tyrannos

Densum humeris bibit aure vulgus.

Scripsit autē Σιχουσιασικῶν, cum ciuitas propter intestinas seditiones esset oppressa à tyrannis. autor. Strab. lib. 13.

Descendit] Cic. 4. Tusc. Fortis uir in rep. sua cognitus, quæ de iuuenum amore scripsit Alcæus. Et Horat. lib. 1. Carm.

Liberum & Musas, Veneremque & illi

Semper hærentem puerum canebat

Et Lycum nigris oculis nigroque

crine rubentem.

Miseratione] Inde Catull. Mæstius lacrimis Simonideis. Σημῶν αὐτῆς seu Nænas eum scripsisse patet ex Horatio, cum ait, Cææ retractes munera Nænie.

Sermonis Attici gratiam] Vide Eras. in pro verb. Atticus lepos.

Præcipui] Eosque solos quos nominatim exprimeret in hoc genere dignos uidetur & Horatius iudicasse 1. Serm.

Eupolis atq; Cratinus Aristophanesq; Poætæ, Atq; alij quorum comœdia prisca uirorum est. Aristophanes extat, de Eupolide. Cic. lib. 6. ad

Att.

Att. Cratinum audacem uocat. Persius propter acerbitatem in insectando, dictus est *ὐλοπότης*, & ab Aristophane ebriosus inducitur, meminit Horat. in epistol.

In lucem protulit] Genus hoc poëmatis rude & incompositum digessit & illustrauit. Nā inuentio Tragœdiæ Thespidi Atheniensi adscribitur, qui uixit temporibus Solonis, Plutarcho autore, & Horat. de art. poët. Aeschylum tamen Athenienses Tragœdiæ parentem ferebant, & in Dionisij festis etiam mortuum inuocabant, quia à Baccho (ut fabulantur) admonitus per quietem felici successu ad scribēdas Tragœdias se contulit, prioribus inuentis adiiciens non scenam tantum & personam, sed ornatum decentem, & orationem etiam sublimiorem, aliâque quæ referuntur in lib. 6. Philostrati de uita Appollon. Pausan. in Attica.

Correctas] Non obscure significat Athenienses permisisse Poëtis, ut Aeschyli fabulas ex politas & emendatas, tanquam à se compositas, in certamine opponerent aliorum Tragœdijs, atque hac ratione multos Tragici poëmatis palmam abstulisse. Sicut & Euphorionem filium Aeschyli patris fabulis quater uicisse memoriæ proditum est.

Illud quidem] Euripides oratoribus utilior est, quàm Sophocles, uel ob hoc etiam, sicut Plutarchus

tarchus iudicat, quia Sophocles quales esse oporteat homines, Euripides uerò quales sint fingit, in quo propius accedit ad ciuilē rationē.

Cothurnus] Vis Tragica. Cothurnus genus calceamenti erat, quo actores Tragœdiarum utebantur, quo postea uocabulo rem ipsam seu Tragœdiam significatam, notum est. Et Sophoclis cothurnus præcipuè celebratur. Martial. de Canio.

An in cothurnis horridus Sophocleis. Et Virg. Sola Sophocleo mea carmina digna cothurno.

Ipsis par] Ideoque Cicero singulos eius uersus singula testimonia putat, & Plato eum sapientissimum poëtam, & ueterum plurimi, Philosophum tragicum appellarunt. Fuit autem eruditus Anaxagoræ disputatiõibus, de quibus multa intexuit suis Poëmatis. Cic. 4. Tusculan.

Menander] Hic adolescens admodum, cum scribere cœpisset, edidit centum & octo comœdias, sed eas inuidit nobis sacerdotum Græcorum integritatis & religionis peruersum studium, qui (ut fertur) permittentibus Cæsaribus Byzantijs combusserunt complura ueterū Græcorum poëmata. Inprimis uerò quibus res amatoria & turpis lusus continebantur, in qua uelut clade pleraque eorum autorum, qui hic referuntur, præclara monumenta interciderunt.

Prælatu est] Quare cum illum Menander.

C

fortè

forte habuisset obuium. Quæso inquit Philemon, bona uenia dic mihi, cum me uincis non erubescis. Gell. lib. 17. (doti.

Densus] Comparatio Thucididis & Herodotum patrem historiae innumerabiles esse fabulas scribit, idem Cicer. lib. 3. de legib.

Thucididis] Cicero. Thucididem consequutus est Siracusius Philistus, qui cum Dionisij Tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucididem est, sicut mihi uidetur, imitatus.

Calcaribus eget] Sicut freno Theopompus, Alterum enim exultantem uerborum audacia reprimebat Isocrates, alterum cunctantem & quasi uerecundantem incitabat. Cicer. lib. 3. de Orat.

Clitarchi] Clitarchus fuit comes Alexandri & rerum ab ipso gestarum scriptor. huius & Cic. de legib. & Laertius meminere.

Timagenes] Milesius scripsit de Heraclea Ponti libros tres, fuit & alius eiusdem nominis historicus temporibus Augusti, de quo Sene. lib. 3. de Ira.

Decem] Fuerunt autem hi: Antiphon, Lysias, Isocrates, Androcides, Iseus, Demosthenes, Aeschines, Lycurgus, Hyperides, Dinarchus.

Lex

Lex orandi] Plin. Cæcili. Demosthenes ille ipse norma orationis & regula. Huc faciunt quæ supra ex Cicerone retulimus de Attica dictioe.

Carnis plus] ornatum maiorem, uim autem minorem.

Hyperides] Qui accusatus à Demosthene iussa Antipatri occisus est, autore Plutarcho.

Lysias] Idem de Lysia indicat Cicero in Bruto & Orator. & Phauorinus apud Gelliū lib. 2. cap. 5.

Isocrates in] Plato in Phædro Isocratem Lysie præfert.

Auditorijs] Caruit enim forensi luce & intra parietes aluit dicendi gloriam. Vocis uerò infirmitate & mollitie frontis, impeditum eum ne in publico diceret, tradit Plinius Cæcilius, uide Philostratum & Plutarch. in eius uita. Cic. lib. 2. de Orat. ad Q. Fr. & ad Brutum, & de claris oratoribus.

Repræhendatur] Velut à Hieronimo peripatetico, de quo Cic. in Orat.

Inclinasse eloquentiam] Cic. in Brut. Demetrius primus inflexit orationē, & eam mollem teneramque reddidit, & suavis, sicut fuit, uideri maluit, quàm grauis.

Cicero] In Orat.

M. Tullius] In Orat. & lib. 2. ad Q. Frat.

Diuina quadam] Cic. Quis uberior in dicen

do Platone? Iouem sic aiunt Philosophi, si Græcè loquatur, loqui.

Homerica] Præstantissima, inimitabili, Simili forma Panætius Stoicus, Platonem, Homerum Philosophorum appellauit.

Et quam pedestrem] Πέζου λόγου. ἔξ η̄κλυκῶς, ita ut coniunctio sit (sicut Budeus inquit) μόγιον διασαφηνικόν. Nam lib. ii. duo facit genera prosæ orationis, cum ait, sicut facilius ediscimus uersus quàm prosam orationem, ita prosam uinctam quàm dissolutam. Vult igitur hic intelligi Platonis orationem sublimiorem multò esse, quàm eam, quæ nullis oratorijs numeris sit colligata & ultra sermonem non attollatur.

Delphico oraculo] Diuino afflatu incitatus, & uelut entusiasmo correptus. Oraculum sumit pro diuino spiritu, quo Delphis corripiebantur uates, quem & locis ipsis inesse credidit antiquitas, Cic. lib. i. de diuina. Dij quidem ipsi se nobis non offerunt, uim autem suam longè, lateque diffundunt, quàm cum terræ cauernis includunt, tum hominum naturis implicant, nam terræ uis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sybillam.

Persuadendi deam] Quæ παρθὸς Græcis dicitur, à Cicerone lepos, ab alijs suada, suadela, flexamina transfertur. Sunt autem Eupolidis de Pericie uersus è comœdia quadam, quæ δῆμοι
incri-

inscribitur apud Plin. Cæcilium:

πρὸς δὲ γ' αὐτοῦ τῶ τάχ' εἰ
 παθὼ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χωίλεσι. Memi-
 nit Cic. in Brut. & lib. 3. de Orat.

Socraticorum] Qui à Socrate orti, & post
 Platonem in duas sectas diuisi, per Aristotelem
 ac Xenocratem, Peripateticorum & Academi-
 corum nomen obtinuerunt. Atque hi Socratici
 ferè appellantur, uide Cic. lib. 3. de Orat. & in
 Academ.

Scriptorum copia] Opera Aristotelis enu-
 merantur à Laertio in illius uita.

Theophrasto] Theophrasto nomen ab Ari-
 stotele impositum ob admirabilem suauitatem
 orationis, cum antea Tirtanus diceretur, Stra-
 bo & Laertius autores sunt, à θεός & φράζω.
 Cicero: Siquidem & Theophrastus à diuinitate
 loquendi nomen inuenit.

Stoici] Non genus orationis tantum, sed di-
 sciplinam & mores Stoicorum ab usu forensi
 abhorrere, pluribus in locis Cicero ostendit. Fu-
 it illorum subtile & speciosum differendi ge-
 nus, ac propterea obscurius. In dialecticis plu-
 rimum elaborauerunt, in quibus Chrisippus a-
 deò præstitit, ut dicerent deos, si dialectica uti-
 uellent, non alia usuros, quàm Chrisippea. Ele-
 gantiam dicendi contemserunt, licet de Rhetor-
 icis etiã scripserint nonnulli, sed sic, ut si quis

C 3 obmu-

obmutescere (inquit Cicero) concupierit, nihil aliud legere debeat.

Magis laborandū] Quam Homero, uel propter naturam linguæ Latinæ, quæ non recipit solam Græcis concessam Venerem, uel propter præstantiam exempli, quod sibi imitandum proposuerat.

Macer atque Lucretius] Macer fuit Ouidij tempore, qui operum illius quoq; mentionem facit, lib. 3. Trist.

Sæpe suas uolucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet serpens, quæ iuuet herba Macer.

Et de Ponto:

Tu canis æterno quicquid restabat Homero,

Ne careant summa Troica bella manu

Lucretij poëma in quo Epicuri doctrinam & Empedoclem est secutus, extat imperfectum, ut opinor, nam Varro significat eum unum & uiginti libros reliquisse, Cicer. lib. 2. epist. ad Q. Fr. opus illud commendat ab ingenio & arte, quod ab ipso quoq; emendatū tradidit Euseb.

Attacinus] Ab Attace uico Norbanensis Gallie, in quo natus est, paululum præcessit ætate Virgilium. Scripsit Argonautica, Apollonium Rhodium secutus, & amatoria, quorum meminit Propertius. Versus illius sæpe citantur à Grammaticis.

Ennium] Ennius claruit temporibus Africanis

cani

cani maioris, bello Punico secundo, hic, ut Lucretius lib. 1. cecinit, Primus amœno
 Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
 Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Autoritas eius quodam tempore tanta fuit apud Latinos, quanta apud Græcos Homeri. Horatius, Ennius & sapiens & fortis & alter Homerus, ut Critici dicunt. Scripsit Annales, Satyras, Comœdias & Tragœdias, summum hunc poëtam Epicum uocat Cic. in Orat.

Amator sui ingenij] Iniquiorem Ouidio fuisse, Quintilianum suspicarer, hominem ut apparet, natura seuerum ac tristem, nisi idem antea prodidisset, Seneca lib. 3. contro. Vbi de Ouidij declamationibus agens, uerbis minimè, inquit, licenter usus est, nisi in carminibus, in quibus non ignorauit uitia sua, sed amauit. Atque id quodam illius factò probat, lib. 2. declamat. & lib. 9. Sicut & lasciuire eiusdem in grauioribus, exemplo declarat in libro tertio natural. Questio.

Cassius seuerus] Deplorauit hic mortem Ciceronis, uersibus elegantissimis, qui habentur lib. 1. Suaso. Senecæ.

Valerius Flaccus] Et is Argonautica scripsit, ad imitationem Apollonij, quod opus dedicatum Vespasiano patui extat, ut uidetur, imperfectum.

Salei Bassi] Saleium Bassum heroico carmine suo seculo clarum fuisse constat, ex Cornel. Tacito de Orat.

Rabirius ac Pedo] Epici ambo & grandiloqui. Ouid.

Cum foret & Marsus, magniq; Rabirius oris,
Iliacusque Macer, sydereusque Pedo.

Pedonis descriptio Oceani est apud Senecam.

Oratorem quam Poëtam] Martial. in apophor.

Sunt quidam qui me dicunt non esse Poëtam,

Sed qui me uendit bibliopola putat.

Germanicum Augustum] Principi suo Domitiano Augusto adulatur, quem Germanicum appellatum fuisse à deuictis Batauis, ac Poëtice studium, priusquam ad imperium perueniret, callidè simulasse, Corn. Tacit. lib. 20. & Sil. Ital. lib. 3. Suetonius item, Statius, Martialis, Valerius Flaccus tradidère.

Familiare numen] Minerua. Domitianus enim Mineruam præcipuè coluit, cuius filium dici se & consilijs uti uideri uoluit. Inde illud Martial.

Dic precor ô nostri dic cõscia uirgo tonantis.

Copiosè de his Philostr. lib. 7. & Suetonius.

Inter uictri.] Id est, te non solum imperatoris uirtutibus, sed & Poëtica gloria insignem ἀλλυγορικῶς. Eandem sententiam hoc disticho

com

complexus est Martial.

Posse deum rebus pariter Musisq; uacere
Scimus & hæc etiam ferta placere tibi.

Gallus] Corn. Gall. nomine quædam circue
feruntur, Euphorionem hic transtulit, & qua-
tuor annorum libros cõposuit, autore Seruio.

Satyra] Satyra antiqua fuit species drama-
tici poëmatis, non admodum dißimilis antiquæ
Comœdiæ cui successit, nisi quòd hic agrestium
numinum, Satyrorum scilicet personæ introdu-
cebantur, ut lusibus ac iocis spectatores dele-
ctarent, hi libertate & amaritudine non mino-
re, in uitia & mores prauos, petulanter ac im-
pudicè ludebant, ita tamen ut nominatim per-
stringerent neminem, id enim erat lege prohi-
bitum. Primus postea Lucilius apud Latinos ue-
teris Comœdiæ & Satyræ imitatione nouam Sa-
tyram condidit, Græcis intacti carminis autor,
doctus & perurbanus Ciceronis testimonio, in
insectandis hominibus acerbissimus. Ideòq; Per-
sius inquit: secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.
Vixit temporibus Actij Poëtæ.

Fluere lutulen.] Id est, Sermo. Cum flueret
lutulentus erat quod tollere uelles.

Hominum mores] Persius Satyr. 1.
Omne uaser uitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.

Callidus excusso populum suspendere naso.

Vno libro] Martial.

Sæpius in libro memoratur Persius uno,

Quam leuis in tota Marsus Amazonide.

Floruit sub Nerone.

*Hodie quoq;] Magnum illa ætas prouentum
Poëtarum attulit, inquit Plinius, ut quos præ-
cipuè intelligi hic uelit Quintilianus incertum
sit, Turnum tamen & Iuuenalem celebres in pri-
mis fuisse legimus, atq; de hoc quidem nota sunt
doctorum seculi nostri iudicia. De illo autem
Martial.*

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus.

Et lib. 7. Nam me diligit ille proximúmque

Turni nobilibus legit libellis.

*Olim nominabuntur] Sic lib. 3. Sed parco no-
minibus uiuentium, ueniet eorũ laudi suum tem-
pus, ad posteros enim uirtus durabit, non perue-
niet inuidia.*

*Romanorum eruditiss.] Terentia: Vir do-
ctissimus undecunque Varro, & Lactant. lib. 1.
cap. 6. M. Varro, quo nemo unquam doctior,
ne apud Græcos quidem, neque Latinos uixit.
Quadraginta satyras edidit, quas ad imitatio-
nem Menippi Cynici compositas, Menippeas
appellauit, autore August. de ciuit. Dei & Gel-
lius lib. 2. cap. 18.*

*Plurimos] De quibus Cic. in Acad. ad Var-
ronem.*

ronem. Tu autem ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotũ, tu domesticam, tu bellicã disciplinam, tu sedem regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarũque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimũque Poëtis nostris, omninoq; Latinis & literis, luminis attulisti & uerbis: atque ipse uarium & elegans omni ferè numero Poëma fecisti, Philosophiam multis locis incoasti, ad impellendum satis ad docendum parum. Scripsisse autem Varronem CCCCXC. libros legitur apud A. Gellium.

Bibaculo] M. Furius Bibaculus Cremonensis, fertur Annales, Iambos, epigrammata edidisse, Catullo æqualis fuit, de utroque Tacitus lib. 4. Carmina Bibaculi & Catulli referta contumelijs Cæsaris leguntur.

Cæsius Bassus] Persius ad hunc composuit Satyram sextam. Floruit sub Claudio principe usque ad Vespasianos.

Ingenia uiuentium] Vestritium Spurniciam fortasse intelligit, de quo Plin. Cæcil. lib. 3. Scribit & quidem utraque lingua Lyrica doctissima, mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas, cuius gratiã cumulat sanctitas scribentis.

Actius atque Pacuuius] Actius floruit iam senè Pacuuius temporibus belli Numantini, utrunque magni facit Cicero, at horridum illud & incultum

incultum orationis genus, spreuit posterior ætas. Ideoque Martial. quendam admiratorem antiquitatis irridens ait.

Attonitúsque legis terrai frugiferai

*Actius & quicquid Pacuuiúsque uomunt.
Videri doctio: Idem certè iudicat Horatius:
Ambigitur quoties uter utro sit prior aufert
Pacuuius docti famam senis Actius alti.*

Varius] Cuius Thiestes celebratur imprimis Corn. Tacit. Nec ullus Asinij aut Messalæ liber tam illustris est, quàm Medea Ouidij aut Varij Thiestes. In heroico quoque carmine commendatur ab Horatio lib. 1. Od. VI.

Pomponius secundus] Vixit sub Caligula & Claudio imperatoribus, uir ingenio illustri & multa morum elegantia, eius frequenter meminerunt Corn. Tacit. & Plinius uterque.

Cæcilium] Statium, cui palmam inter comicos statuit Volcatius Sedigitus, Ei seni Terentius successit, Grauitatem illi tribuit Horatius, huic artem, Terētianis fabulis Cicero uehementer delectatus est, alterum uerò, ut sordidum contempsit.

Scipionem Africanum] Vide Donatum in uita Terentij, & Cic. lib. 7. epistola 3. ad Attic.

Trimetros] Latinos comicos in ratione metrorum negligentiores fuisse, quàm Græcos, suspicamur, idq; notasse Quintilianum cum dixit,

In

In Comœdia maximè claudicamus, claudicatio enim ad pedum uitia proprie refertur, & claudicat Comœdia, quæ suis pedibus ac numeris non constat, quod & ab alijs annotatum reperi. Nam quæ in Terentio hic desiderantur, ad cæteros quoque pertinere, quis non uidet? cum non minus trimetros excedat Plautus, uerum cum Terentianæ fabulæ puritate ac elegantia orationis excellerent, gratiam eam longiore uersuum tractu, in his imminutam significat.

Venerem] Leporem, gratiam, Plin. de Apelle præcipua eius in arte uenustus fuit, cum eadem ætate maximi pictores essent, quorum opera, cum admiraretur, collaudatis omnibus deesse illis unam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita uocant. Cæterum Attici festiuitate & lepore, quasi uernaculo adeo præstiterunt reliquis populis Græciæ, ut in prouerbium abierit, Atticus lepos.

Togatis] Fabulas togatas ab habitu histriorum, & argumento ex Romanis rebus petito uocarunt.

Afranius] L. Afranij Cic. in Bruto meminit, & ab eo passim petuntur testimonia à Grammaticis, fuit imitator Menandri, Horat. Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro.

Velocitatem] Id est, breuitatem, μεταληπι κῶς. quæ aures quasi præteruolat, in qua uicisse Thuc.

Se Thucididem traditur à Seneca in declamat.

Seruilius] Princeps ciuitatis ætate sua, floruit imperante Claudio, usque ad quartum Neronis consulatum, Orator & historicus. Tacitus lib. 14. Plin. Secund. lib. 24. & Cæcil. lib. 1.

Belli Germanici] Nam & aliud opus historie Romanæ composuit, de quo transcripta quædam leguntur apud Senecam, qui se uidisse Bassum confectum senio, quadam ad Lucilium epistola pluribus perscribit.

Superest] Corn. Tacitum significari puto potius quàm Plinium, quamuis & is historiam scripserit, de superstite enim loquitur, & Plinium uita functum, cum hæc literis mandaret Quintilianus, manifestum arbitror.

Quorum ego] Confert Ciceronem Demostheni, ita tamen, ut utrum alteri præferat, non facile dixeris. In inuentione & dispositione pares facit, in elocutione diuersis uirtutibus æquo utrunque excellere ostendit: diligentia illum plus ualere, hunc natura. Sunt autem illa nota, Demosthenem plus olei quàm uini consumsisse, & illius εὐθυμήματα τὸν λύχνον ἀπόζειν, quod omnia prius descripta ac præmeditata diceret, adeo ut si potuisset, etiam sculpta esset dicturus, Infra lib. 12.

Salibus] Non facetus solum fuit Cicero, sed etiam dicax, & in quo Demostheni aliquid de-
fuisse

fuisse putat, in eo modum ipse excessit, autore Plutarcho & Quintiliano, lib. 6. cap. 3. Macrobi. lib. 2. Saturnal. Affectibus autem concitandis, quantum ualuerit, cum libri ipsius, etsi spiritu illo, propter quem maiora omnia cum aguntur, quam cum leguntur, uideri solent, carent, tamen utrunque ostendunt, tum ipse de se prædicat in Oratore, ubi de affectibus uehementioribus agit his uerbis, Quo genere nos mediocres, aut multò etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe aduersarios de statu omnium deiecimus. Nobis pro familiari reo summus Orator non respondit Hortensius, à nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit: Nobis priuata in caussa magna & graui, cum cœpisset Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi Veneris ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eò sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, Perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.

Epilogos] Occupatio. Demostheni non licuit, uti longis perorationibus, quibus apparet, quantum in hoc genere potuisset efficere. At ratio Latini sermonis, non admisit illas dicendi Veneres, quas Græci admirantur, & magnificiunt in Demosthene.

MOS

Mos ciuitatis] Lege enim iubebantur ἄνδρες παθῶν ἢ προοίμιον dicere, quæ lata fuit ad coërcendam licentiam, extra rem euagandi, auctore Lucia. in Anarchars. & Arist. lib. 1. Rhet.

Prior fuit] Imò in hoc feliciorum Cicero dicit fuisse Demosthenem, qui & successit ipse magnis & maximos Oratores habuit æquales, nos (inquit) magnum fecissemus, siquidem potuissemus, quo contendimus peruenire, in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat.

Ingenij] Quod solum Pop. Rom. per imperio suo habuit, ut inquit Seneca.

Prouidentia] Secundum opinionem Stoicorum loquitur, qui πᾶσι τὰ πάντα, omnium rerum gubernatricem ac dispensatricem esse uolebant, meminit Cic. lib. 1. 2, de nat. deor.

Ferat] Id est, cum orationis impetu, iudicem à uoluntate & sententia sua, in diuersam pertrahat.

Hunc igitur] Hæc uerba interpretantur sententiam Quintiliani de imitatione.

Multa in] Sequuntur Oratores qui floruerunt illo felicissimo seculo Ciceronis. Nam quicquid Romana facundia habet (inquit Seneca) quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studijs attulerunt, tunc
nata

nata sunt, In deterius deinde quotidie data res est, siue luxu temporum (nihil enim est tam mortiferum ingenijs quàm luxuria) siue cum præmium pulcerrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quæstûque uigentia: siue fato quodam, cuius maligna, perpetuâque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus quidem ad infima, uelocius quidem, quàm ascenderant, relabantur. Hactenus ille. Porro omnes illius ætatis angustiores & tenuiores fuerunt Cicerone, cuius copiam & maiestatem, cum non possent consequi, imbecillitati suæ prætexebant honestum titulum, & Atticos se imitari aiebant, illum ut Asianum, redundantem, ac elumbem repræhēdentes. De his ad hunc modum peracutè iudicat Tacitus, Tristior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, grauior Brutus, uehementior & plenior & ualentior Cicero. Omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiæ ferunt, ut si omnium pariter libros in manus sumseris, quamuis in diuersis ingenijs esse quandam iudicij ac uoluntatis similitudinem & cognationem, Vide Quintil. infra lib. 12. cap. 10.

Seculo prior] Corn. Tacit. Asinius quoque quanquam prioribus temporibus natus sit, uidetur inter Menenios & Appios studuisse. Pa-

D

cuuium

cuium certè & Actium non solum in Tragoedijs, sed etiam orationibus suis expressit, adeo durus & siccus. Seneca historias illius quoque improbat. Fuit alioquin magnus amator ingenij sui, adeò infensus Ciceroni, ut ne ab alijs quidem laudari eum æquo animo ferre potuerit.

Messala] Exactissimi ingenij uir & Latini sermonis obseruator diligentissimus, Cicerone mitior & dulcior, & in uerbis magis elaboratus, autore Tacito & Seneca, huius sæpe meminit Cicero.

Nobilitatem] Erat enim de familia M. Valerij Coruini.

Foro uacasset] Id est, si tantum eloquentiæ studio, & causis agendis incubuisset.

Contra Ciceronem] Id est, qui Ciceroni opponi & conferri posset.

Studiosiss. fuit] Cicero in Bruto. Et ipse ita iudico illum omnium ferè oratorum Latine loqui elegantissime. plura uide apud eundem & Plinium lib. 7.

Celio] M. Celij Rufi illustre nomen est inter Oratores illius temporis, cuius actiones Cicero non mediocriter commendat, Principio defensor optimarum partium, postea ciuis malus ac turbulentus, cum perniciosis legibus seditionem ac tumultum quæreret, multaque uiolenter ageret, Prætor de sententia senatus ab republica
care

ea remotus, & concione prohibitus, urbéque profugiens, dum alibi socio Milone res novas molitur, occisus est. Cæsar lib. 3. belli civilis. Ap- pian. lib. 2. Cic. in Bruto.

Caluum] Qui diu cum Cicerone iniquissi- mam litem de eloquentiæ principatu habuit, adeò concitatus actor, ut in media oratione ei- us exclamaret Vatinius reus. Rogo uos iudices, num si ille disertus est, ego damnandus sum? Scripsit orationes multas & poëmata. Memora- bile est, quod Plinius tradidit. M. Cælium Ru- fum, & hunc C. Licinium Caluum eodem die genitos.

Ciceroni] In Bruto. Accuratius quoddam dicendi, & exquisitius afferebat genus, quod quanquam scienter, elegantérque tractabat, nimium tamen inquirens in se, metuénsq; ne ui- tiosum colligeret, etiam uerum sanguinem de- perdebat. Itaque eius oratio nimia religione at- tenuata, doctis & attentè audientibus erat illu- stris, à multitudine autem, & à foro, cui nata eloquentia est, deuorabatur. Vide eiusdem epi- stolam ad Treboni. lib. 15.

Seruius Sulpitius] Nemo plus studij quàm ille, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuit, Cicerone teste. Cúmque ue- reretur, ne fortè secundas in eloquentia partes haberet, effecit, ut in iure primus esset. Vnus

D 2 enim

enim artem Dialecticam, quasi lucē adferebat, ad ea quæ ab alijs confuse aut respondebantur, aut agebantur. Scripsit propè centū & octuaginta libros. Eius mortem & laudes continet, Ciceronis Philippica nona. Adde Pompo. in l. 2. ff. de orig. iuris, & orationem pro Murena.

Cassius Severus] Primus hic deflexit ab illa ueteri, atque directā uia dicendi, siue ingenij imbecillitate, siue quod iudicaret illis temporibus, genus dicendi latius & floridius conuenire. Supra modum effert eius eloquentiam Seneca lib. 3. declamationum, quem ut superioribus imparē, ita sequentibus collatum, longè præstitisse fatetur Corn. Tacit. de Oratoribus. In historijs uerò memoriæ prodidit eundem, propter scelera saxo Seriphio inclusum cōsenuisse Stomacho] Iratus inquit Seneca, commodius dicebat, ideo diligentissimè cauebant homines, ne dicentem interpellarent, uni illi proderat excuti, melius semper fortuna, quàm cura merebatur.

Domitius Afer] Floruit sub Tiberio, senex mortuus est Nerone principe eodem quo Seruilius Neuianus anno. Præter orationes, edidit de testibus & de urbanedictis libros. De eloquentia illius & moribus Corn. Tacitus lib. 4. Afer primoribus Oratorum additus, diuulgato ingenio & secuta asseueratione Cæsaris, qua
suo

suo iure disertum eum appellavit, mox capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiæ, quàm morum fama fuit, nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ demsit, dum fessa mente retinet silentij impatientiam. Quintilianus hunc studiosè sectatus est adolescens senem, autore Plinio Cæcil.

Iulius Aphricanus] Accuratè hunc dixisse significat Crispus Passienus apud Plinium Cæcilius, qui audito eo exclamavit, Bene meherclè bene, sed quo tam bene.

Vocis] Sic alibi Quintilianus: Habuit Oratores nostræ ætas copiosiores, sed cum diceret, eminere inter æquales, Trachallus uidebatur, ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorū, frontis autoritas, gestus præstantia, uox quidē non ut Cicero desiderat, penè Tragædorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, Tragædos certè cum in basilica Iuliæ diceret, primo tribunali, quatuor autem iudicia, ut moris est, cogerentur, atq; omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectū, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.

Vibius Crispus] Vixit sub Nerone, Tacit:

Priuatiss] Quales erant priuatorum & centumuiralium iudiciorum, uide cap. 10. lib. 3. & Cic. lib. 1. de Orat. Budeum in Pandect.

Iulius secundus] De hoc paulò post Quintilianus & Tacit. de Oratoribus.

Quam in orationibus] Iudicio enim quodam suo delectatus est, presso ac tenui dicendi genere, ad docendum magis, quàm ad mouendum accommodato, solus in hoc non malignitate, aut liuore (ut fertur) dissentiens à Cicerone. Ideoque fama sua minorem fuisse in orationibus, etiam Corn. Tacitus scripsit. Philosophiam, eius laudat Cicero, lib. 1. Acad. Quæstio: & lib. 3. de finibus, de orationibus, uide eundem, lib. 15. epistola ad Attic.

Suffecit ponderi] Id est, potuit res difficilissimas commodè & disertè explicare ac tractare oratione.

Corn. Celsus] Mediocri uir ingenio. præter hæc etiam Rhetoricæ, & rei militaris & rusticæ, & medicinæ præcepta reliquit. Infra lib. 12.

Scepticos] σκέπτικοι nihil definiabant, neque constituebant, sed iactabant tantum sententias aliorum, in inquisitione & contemplatione rerum uersantes, à uerbo σκέπτομαι, quod significat considero, diligenter inquirō, Gell. lib. 11. cap. 5. Et Laërt. in uita Pyrrhonis.

Catius] Scripsit libros quatuor de rerum natura & summo bono, quibus complexus est doctrinam Democriti & Epicuri, Cic. lib. 15. epistola famil. & Horat. lib. 2. serm. satyr. 4.

Ex

Ex industria Senecam] Excusatio, cur de Seneca postremo loco dicat, continens purgationem suspitionis, malevolentiae, & causam facti, quæ in fine ponitur, nimirum quod robustis & meliore genere dictionis confirmatis demum legendum putet. Purgationi subiicit censuram, Et elocutionem præcipuè in eo reprehendit, ac iudicium, alioquin multas illi maximasq; tribuit uirtutes. Vitam huius uiri, & mores disertissimè prosequitur Tacit. in lib. 15.

IN CAPVT II.

Ex his cæterisque] Lectioni subiicit imitationem, estque is uelut usus seu finis censuræ autorum, ut in formanda oratione, & acquirenda dicendi facultate, mentem dirigamus ad exemplum optimi cuiusque. Duplicem autem imitationem faciunt hi, qui mihi uidentur de hoc toto genere, & ingeniosè præcepisse, & iudicasse acutissimè, Vnam generalem, qua omnes bonos in exemplū intuemur, cum in rebus, id est, in inuentione & dispositione, tum in uerborum proprietate, figuris & apta compositione: Alteram specialem, qua uelut ducem peculiarem eligimus, Vnum Ciceronem & eius phrasin ac collocationem periodorum, cæterasq; uirtutes, quibus reliquis præstitit, imitando exprimere conamur. Et de hac quidem postea. Hic autem

loquitur de generali imitatione, quam primo loco ut necessariam ad artis perfectionem requirit.

Cæterisque] Quia antea dixit, fateor plures legendos esse, quam nominabuntur. Conclusio est superiorum, continens repetitionem præcepti, de fine lectionis. Sed ut copia uerborum sic paratur, ita non uerborum tantum gratia legendum, uel audiendum est &c.

Tum ad exempl.] Propositio.

Componendi ratio] De qua Cicero in Orat. Quintilianus lib. 9. cap. 4.

Atq; omnis] Argumentum ex loco communi.

Sic litera] Amplificatio.

Et herclé] Aliud argumentum.

Sed hoc ipsum] Secundum præceptum complectitur summam sententiæ Fabij, de imitatione, ne superstitiosè adstringamus nos imitationi aliorum, sic ut nostro ipsi Marte, nihil conemur inuenire aut excogitare, præter ea, quæ ab alijs sumenda esse putabimus: aut unum tantum, quantumuis excellentem intuentes, ad illius quasi præscriptum, omnia efferre uelimus. Quod quidem in rerum tractatione utiliter traditur, in quibus non imitatione tantum, sed inuentione quoque pleraque crescunt, & meliora redduntur, & unus ad imitandum, haud dubiè non sufficit: in elocutione non item, sublato enim nunc usu ueteri sermonis Latini, & consuetu

suetudine, quàm ille certissimam regulam loquendi facit, multo tempore interrupta atque abolita penitus, adeo ut tota lingua nobis è libris sit petenda, neque ad usum popularem accommodanda loquendi ratio, & ridiculum sit atque absurdum, noua sibi uocabula in rebus non nouis fingere, aut peculiare figuras orationis excogitare, quis non uidet in eloquentiæ imitatione, secula nobis nostra penè quandam necessitatem imponere discedendi à sententia Quintiliani, cum ad id, quod uolumus persequendum, nihil præter imitationem nobis relictum sit. At in ea ipsa, quis non optima potius & perfectissima, quam corrupta & imperfecta sibi proponere malit? Adde quod euentus docuerit, unius imitatione hæc studia non mediocriter aucta & amplificata esse. Qua de re cum præter alios disertissimè & ad hunc locum accommodatè scripserit D. Ioachimus Camerarius lib. 1. comment. in Tusc. quæst. Ciceronis, ab hoc uberiolem tractationem huius totius rationis, & sententiæ Fabij petendū esse iudico.

Quid enim] Prima ratio, Nihil enim fuisset inuentum, sicut priores igitur multa generarunt, ita & nobis, quæ nondum fuerunt, excogitanda sunt.

An illi] Argumenta sunt suasorij generis, à facili seu possibili. Quòd alij instinctu naturæ fecerunt,

fecerunt, multò magis nos successu eorum admo-
niti facere debemus. Item, Illi inuenerunt multa
sine præeunte, ergo nos usu rerum iam inuen-
tarum edocti, longè facilius inuenire alia pote-
rimus.

Mentis] Quæ ducitur cupiditate incredibi-
li inueniendi ueri, Quod facillimè apparet (in-
quit Cicero) cum uacui curis etiam quid in cœ-
lo fiat scire auemus. lib. 2. de finibus, & li. 1. off.

Nam rursus] II. ratio. Præterea nec auctum
quicquam fuisse, Quemadmodum igitur reli-
quæ artes creuerunt inuentione: ita & eloquen-
tia, quæ cum ad summum non sit perducta, ul-
tra ueterum inuenta ad perfectionem illius la-
borandum erit.

Liuium Andronicum] Qui primus apud La-
tinos fabulam dedit bello Punico secundo. Iuxta
Portij Licinij uersiculos:

Punico bello secundo Musa pennato gradu
Intulit sese bellicosam in urbem Romuli.

Vide Liuium lib. 7. ab urb. Cic. in Bruto &
Tusc. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1.

In historijs] Cic. de Orat. Erat enim histo-
ria nihil aliud, quàm annalium confectio, cuius
rei memoriæq; publicæ retinendæ gratia, ab
initio rerum Romanarum, usque ad P. Mutium
Pontificem Max. res omnes singulorum anno-
rum mandabat literis Pontifex Maximus, esse-
rebátque

rebátq; in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ij qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarúmq; rerum reliquerunt, ut Cato, Pictor, Piso. Postea historiam exornare primus cœpit Cælius Antipater, de quo & in Bruto.

Ratibus adhuc nauigaremus] id est, non esset nauis. Plin. lib. 7. nauem primus in Græciam ex Aegypto Danaus aduexit, ante ratibus nauigabatur, inuentis in mari rubro inter insulas à rege Erithra. Dicuntur autem rates inter se tantum connexæ & compactæ trabes.

Circumscriberet] σκιογραφία. Nam picturam repertam Plinius tradit ab umbra hominis lineis circumducta, & talem primã fuisse. lib. 35.

Sed etiam] III. Ratio. Quia minorem necesse est existere qui imitetur.

Nam qui] A rebus externis ad imitationis studium callidè translata similitudo.

Adde quod] IIII. Ratio. A difficili. Similes esse uix possumus, superare facilius.

Adde quod quicquid] V. Ratio à natura rei similitudinem alterius exprimentis. Hoc argumento & Seneca usus est, ubi admonet non unũ tantum esse imitandum. In Prologo declamat:

Quia

Quia nunquam par fit imitator auctori. Hæc natura est rei, semper citra ueritatem & minor est similitudo.

Quod ni] Applicatio.

Adde quod ea] VI. Ratio. Quia inimitabilia sunt quæ in Oratore præcipua, Vnde inepta sæpe etiam in reliquis imitatio.

Quapropter] Tertium præceptum, ut adhibeamus delectum in imitatione, spectemusque & quos eligamus, & quid imitemur in illis ipsis quos probauimus. Id desumptum uidetur ex Cicerone de Orat. cum ait Antonius. Ergo hoc sit primum in præceptis meis, ut demonstremus quem imitetur: atq; ita ut quæ maximè excellant in eo quem imitabitur, ea diligentissimè persequatur, non ut multos imitatores sæpe cognoui, qui aut ea quæ facilia sunt, aut etiã illa quæ insignia, ac penè uitiosa consecrètur imitãdo etc.

Cutem] Ornamenta orationis, quæ primum sese offerunt.

Effluere] Quales in speculis conspiciuntur. De his Epicuri figuris Gell. lib. 5. cap. 16. Epicurus effluere semper ex omnibus corporibus simulachra quædam corporum ipsorum, eaq; sese in oculos inferre, atq; ita fieri sensum uidenti putat, & Lucretius lib. 4.

Dico igitur rerum effigies, tenuesq; figuras
Mittier ab rebus summo de cortice earum,

Quæ

Quæ quasi mēbrana, uel cortex nōminitāda est
 Quod speciē ac formā similē gerit eius imago,
 Cuiuscunq; eluet de corpore fusa uagari.

Et paulò post.

tenuis quoq; debet imago

A rebus mitti summo de corpore rerum.

Sed plerumque] Incommoda ex parum dili-
 genti imitatione prouenientia.

Proxima uirtutibus] Vide autorē Rhetori-
 corum ad Herenniū lib. 4. de generib. dicendi.

Antiquis] Vt Catoni, Grachis, Carboni, Ser-
 gio Galba, & similibus.

Scilicet] Ironia.

Circumduxerunt] Id est, si periodis longi-
 oribus usi fuerunt.

Tum in suscipiendo] Quartum præceptū.
 Ne contra naturam nostram, aut ultra uires in-
 genij quicquam tentemus, sed bona propria
 confirmemus atq; augeamus.

Secundo] Capite 9.

Id quoque] Quintum præceptum. Vt tenea-
 mus decorum, Ne ab instituto nostro diuersi ge-
 neris, aut aliorum operum autores, sine discrimi-
 mine imitemur: Atque ut pro circumstantiarum
 ratione tribuamus cuilibet materiæ conuenien-
 tem orationem. Qua de re sic Crassus apud Ci-
 ceronem. Id quidem (inquit) perspicuum est,
 non omni causæ, nec auditori, neque personæ,
 neque

neque tempori congruere orationis unum genus. Nam & causse capitis, alium quendam uerborum sonum requirunt, alium rerum priuatarum, atque paruorum, & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio desiderat &c. Eadem infra lib. ii. de apte dicendo.

In cothurnos] Horatius:

Versibus exponi tragicis res Comica non uult,
Indignatur item priuatis ac propè socco
Dignis carminibus narrari cæna Thiestæ.

Generi] Scilicet orationis.

Itaque ne] Sextum præceptum. Ne unius imitationi addicti simus, de quo in explicatione secundi diximus, sub illo enim & hoc compræhenditur. Neque uerò tam præcipere uidetur quàm suadere, ut ex plurimis, quod optimum sit, decerpamus, & suo quisque loco studeamus effingere potius, quàm ut ad unius tantum uirtutes apprehendendas intendamus animum, magisque id facere, ipsum apparet, non tam eius rei difficultate, quàm quod illud alterum melius esse reuera iudicet. Præterea & hic rerum ac uerborum imitationem commiscet. At nostro seculo ferè de elocutionis imitatione agunt hi, qui solum Ciceronem imitandum esse præcipiunt.

Nam præter] Ratio duplex.

Imita

Imitatio autem] Epilogus doctrinae de imitatione, in quo propositio repetita, illustratur atque amplificatur distributione. Et annectitur summa comprehensio, longae illius disputationis, ne contenti imitatione, prioribus inuentis adijcere aliquid contendamus.

Laus ipsa popularis] Exemplum est in oratione pro Cornelio Balbo.

IN CAPVT III.

Et haec quidem] Secundum genus exercitij, ad parandam firmam facilitatem dicendi, est stilus. Eius usum principio commendat autoritate Ciceronis, & ad scribendum saepe ac diligenter, adhortatur.

Auxilia] Lectiois & imitationis exemplorum.

Extrinfecus adhibentur] Id est, ab alijs sumuntur.

Laboris] Cicero, Est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quamplurimum scribere.

M. Tullius] lib. 1. de Orat. Stylus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister.

Nam ut] A simili. Frequentissimae sunt similitudines ab agris, ad ingenium translatae, quod vim rei utriusque cultura diligens excitet, augetque, negligentia uero corrumpat. Cic. 2. de Orat. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed nouato & iterato: quo
meliores

meliores foetus possit & grandiores edere, subactio autem est usus &c.

Conscientia] Stili, id est, nisi tibi conscius sis, te multum scripsisse & pertractasse locos multarum rerum.

Labris] Id est, temere & casu in buccam (ut dicitur) uenientia.

Illhic] In stili usu.

Radices] Inde enim crescit & alitur facultas dicendi, & his quasi fundamentis innititur.

Opes] Sic supra. Non ergo dubium est, quin ei uelut opes sint quaedam parandæ, quibus uti ubicunque desideratum erit, possit.

Sanctiore] Sanctius ærariū dicebatur, quod ibi execratione proposita, conditi essent thesauri, ne promerentur, nisi extrema necessitate urgente. Appian. lib. 2. de bell. ciuil. Liui. lib. 7. ab urb.

Vires faciamus] Oratio firmanda ac quasi corroboranda est multo stilo.

Nihil] Ratio ex loco communi. Res enim magnæ, nisi magno labore non perficiuntur, Vnde illud tritum multorum usurpatione prouerbi-um: χαλεπὰ τὰ καλὰ. Eras. in Chiliad.

Maiora animalia] Vt Elephanti, Plautus in Stich. Audiui sæpe hoc uulgò à multis dici, Solere Elephantum grauidam perpetuos decē esse annos. Plin. lib. 8. cap. 10.

Sed

Sed cum sit] Propositio. Dicam quomodo
& quid sit scribendum. De primo membro hic
agit, de altero in capite quinto.

Sit primo] Primum præceptum requirit ac-
curatam in scribendo diligentiam, sic ut tam in
inueniendis rebus ac uerbis, quàm in disponen-
dis iudicium adhibeamus.

Collocandi] Duplex est ratio collocandi, a-
lia uersatur in numeris, quæ non sanè obseruari
his nostris temporibus solet, ad quam ne ueteres
quidem, nisi perpauci admodum superstitiosè
se adstrinxerunt: deinde alia est, quam requirit
usus Latinæ sermonis, & decorum, quæ prorsus
est necessaria.

Numeri] De quibus supra lib. 9. cap. ultim.
& Cicer. de perfect. Orat.

Quæ quidem] Inter scribendum sæpe repe-
tenda sunt proxima, scripta quoque denuo re-
tractanda exemplo Salustij & Virgilij. Simi-
lem curam requirit Horat. lib. 1. Serm. cum ait.
Sæpe stilum uertas iterũ, quæ digna legi sunt,
Scripturus.

Quod in certamine] Declarat similitudinib.

Danda sunt uela] Id est, si feliciter succedet,
progrediendum est. à nauigantibus. Cicer. 2. de
Orat. Si se dant, & (ut ante dixi) sua sponte
quo impellimus, inclinant atque propendent,

E

accipio

accipio quod datur, & ad id, unde flatus aliquis ostenditur, uelado.

Scriberetur] Amor enim ille subleuat molestiam & tedium scribendi.

Virgilium] Gell. lib. 7. Amici (inquit) familiaresque Virgilij, in ijs, quæ de ingenio eius, moribusque memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, Parere se uersus more atque ritu ursino. Namque ut illa bestia foetum ederet ineffigiatum, informemque, lambendoque id postea, quod ita edidisset, conformaret & fingeret: proinde ingenij quoque sui partus recentes rudi esse facie, & imperfecta, sed deinceps tractando, colendoque reddere ijs se oris & uultus lineamenta.

Oratoris quidem] Corrigit quasi & interpretatur. Nimirum quod tantam diligentiam initio solum requirat. Non enim semper conceditur oratori illa sollicitudine uti.

Vt in familia] Elegans & maxime ad rem spectans similitudo.

Coërceamus] Id est, impetum & ardorem scribendi aliquantulum remoremur.

Nec enim] Secundum præceptum præscribit modum in castigando, iubetque manum aliquando de tabula tollere. Cui additur reprehensio morosæ cuiusdam diligentiae quorundam,

dam, omnia emendantium & ultra vires con-
tendentium studio.

Calumniandi] Id est, emendandi, repræhen-
dendi se sine caussa.

Insenescat] Id est, diu immoretur, anxietate
nimia quasi impeditus & implicatus. αὐζή-
σις est.

Ingenio] Quod obtundunt nimia erga se ca-
lumnia.

Accidit] Ratio à consequentibus confirma-
ta exemplo.

Vt possimus autem] Tertium præceptum
uiam ostendit perueniendi eò, ut & plurima &
celeriter scribere possimus, cui itidem adiun-
cta est repræhensio uitij diuersi à superiori.
Eaque duplex, Prima illorum, qui impetum co-
gitationis sequentes celeriter, omnia effundunt,
& postea emendant: Altera eorum qui ipsi non
scribunt, sed excipientibus alijs dictant.

Ratio] Via quædam seu ordo.

Si non resupini] Animus intendendus ad o-
mnes circumstantias præsentis negocij.

Siluam] Quemadmodum & poëmata subiti-
to calore & spiritu poëtico fusa, siluas uoca-
runt, cuius generis sunt Siluæ Statij, & Angeli
Politiani.

Ducere] Effingere, exprimere à fusoribus

seu statuarijs, qui ex metallo ducere aliquid dicuntur, aut ex marmore, ut apud Virgil. in 6. *Viuos ducent de marmore uultus, Et in 7. Aut leueis ocreas lento ducunt argento.*

Celandum] Id est, elaborandum, polien-
dum.

Delitijs] Cum scribendi laborem ipsi sub-
terfugimus.

Nam in stylo] Collatione uitij utriusque di-
ctare quam scribere, quantumuis celeriter per-
niciosius esse iudicat.

At idem] Alia incommoda dictandi.

Persius] Satyr. 1.

Nec pluteum] Id est, carmen eiusmodi, tanta
cura non est compositum, ut calore cogitatio-
nis, tabellam seu pulpitem caderet Poëta, aut
intentionis cura unguis arroderet. Sicut de Lu-
cilio Horat. scribit 1. serm.

Sæpe caput scaberet uiuos & roderet unguis.

Denique] Quæ sequuntur præcepta sunt ex-
tra artem.

Secretum] Loco ab arbitris remoto & se-
creto, imprimis scribendum est, si liceat: sin ue-
rò minus, non propter strepitum intermitten-
da opera, sed intentione mentis, cuncta sunt
superanda.

Nec tamen] Siluas & nemora non esse apta
studijs,

studijs, probat à contrarijs effectis. Quia locorum amœnitas uoluptatem adfert, intentio laborem.

Demosthenes] Ab exemplo Demosthenis, uide Plutarch. in eius uita.

Sed cum] Valetudo conseruanda frugalitate, Vt sit mens sana in corpore sano, ut quidam ait.

Cum tempora] Caussa cur in hoc genere studiorum præcipue sit ratio habenda ualetudinis.

Lucubratio] Lucubrare ad lucernam scribere significat. Cicero, Accipies hoc paruum opusculum lucubratum, his iam contractioribus noctibus.

An uerò] A maiori. Si fortuita cogitatio ab externo sensu remouere animum potest, quanto magis uoluntaria.

Non est] Causse desidiæ amouendæ. Vide prouerbium apud Eras. Ignauis semper ferie sunt.

Particulas] Orationis.

Demosthenes] Valer. Max. lib. 8. cap. 7.

Illa quoque] Cæris potius scribendum, quàm membranis, & quomodo in utrolibet genere.

Vacare] Utilis admonitio de margine, ut subiti sensus, si q̄ inciderint, statim p̄scribãtur.

Irrumpunt] Id est, extra propositum in mentem ueniunt.

IN CAPVT IIII.

Sequitur] Alterum officium styli est emendatio. Ad hæc præcepta de emendando utiliter adhibebitur epistola Plinij ad Nonium Celerem lib. 7.

Nec dubium] Primum præceptum. Scripta ad tempus reposita, demum sub incudem sunt reuocanda. Quod ut operibus duraturis imprimis est accommodatum, ita conuenit quoque, sese adhuc exercentibus, Non autem quas acturi sunt, controuersias scribentibus.

Et ipsa] Secundum præceptum, Modus tamen esse debet curæ & tēporis in emendando.

Cicatricosa] Id est, inæqualia, hiulca, malè inter se coëuntia.

Poliat non exterat] ἀντίθετον. Plin. Tranquillo, perfectum opus, absolutumque est, nec iam splendescit lima, sed atteritur.

Cinnæ Smyrnam] Catull. Smyrna mei Cinnæ nonam post deniq; messem, Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem. Huius exemplo Horatius poëmata in nonum annum premenda censet.

IN

IN CAPVT V.

Secundum membrum propositionis superioris exequitur, in quibus materijs stilus sit exercendus.

Hoc exuberantis] Id est, de illis tantum exercitijs stili agam, quibus acquiritur copia & facilitas orationis.

Primo libro] Capit. de officio Grammatici & quæ primordia sint dicendi.

Secundo] De primis apud Rhetorem exercitationibus.

Vertere] I genus. Conuersio Græcorum in Latinum, quo genere exercitationis proprietas (inquit Plinius Cæcilius) splendôrque uerborum, copia figurarum, uis explicandi, præterea imitatione optimorum, similia inueniendi facultas paratur, simulque quæ legentem fessellissent, transferentem fugere non possunt, intelligentia ex hoc & iudicium acquiritur.

De Oratore] Lib. 1. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum Oratorum Græcas orationes explicarem, quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem Græcè, Latine redderem, non solum optimis uerbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam uerba imitando, quæ noua no-

stris essent, dummodo essent idonea.

Libros] Platonis *Timæum*, Xenophontis *Oeconomicum*.

Phryne] Quæ in capitis iudicium uocata ab Euthia, & defensa ab Hyperide, propter uenustatem formæ est absoluta, supra lib. 2. cap. 15.

Sed & illi] II. genus. Conuersio Latina, eâ que duplex, aut carminis in prosam orationem, aut prosæ in aliam eiusdem generis.

Sulpitius] P. Cuius orationem propterea quoq; puto grandiozem fuisse, & penè tragicam, ut est in *Bruto Cicer*.

Præsumunt & c.] Id est, ostendunt, seu uelut inditio sunt, quod eadem propriè dici queant. Quædam exemplaria habent adiectam negationem, ut sit, non præsumunt, id est, non præripiunt, quò minus quis possit ea ipsa, quæ licentia quadam poëtica parum propriè dicta sunt, proprijs & tanquam suis uerbis efferre.

Robur] Id est, grauitatem Oratoribus conuenientem.

Neque ego] Qualis esse debeat conuersio.

Ideoq; ab illis] Confutatio sententiæ Crassi, quæ est in lib. 1. Ciceronis de Orat. his uerbis. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maximè, qua C. Carbonem nostrum

strum

strum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut aut uersibus propositis quam maximè grauibus, aut oratiōe aliqua lecta, ad eum finem quē memoria possem cōpræhendere eam rem ipsam quam legissem, uerbis alijs quàm maximè possem lectis, pronunciarem. Sed animaduerti hoc esse in hoc uitij, quod ea uerba quæ maximè cuiusq; rei propria, quæq; essent ornatissima atq; optima, occupasset, aut Ennius, si ad eius uersus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem fortè mihi proposuissem, ita si iisdem uerbis uter nihil prodesse, si alijs, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem.

Semper] Non sine caussa adiecta hæc particula, ne omnia tentemus peruersa ratione aliter dicere.

Nisi fortè] A simili, ex minori.

An uero] A maiori. Si nostra possumus conuertere, & quidē sæpius, multò facilius aliena.

Nam si] Ratio. Plurimi sunt modi quibus benè dicitur. Ergo, quod uno modo benè dictum est, poterit alio, si non melius, certè non malè dici.

Eodem] Id est, ad eandem rem oratione explicandam.

Ipsa denique] Commendatio à difficili.

Nec aliena] III. genus, Variatio nostrorum.

E s

Quas

Quasdam] Generalem significationem hæc uox adiecta notare uidetur, & tamen non dubito, quin intelligat præcipue quas proprie sententias dicimus, illas nimirum translaticias, quæ nihil habent cum illa controuersia implicitum, ut ait Seneca, sed satis apte & alio transferuntur, tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de auaricia dicuntur. Quo in genere frequenter se exercuit Portius Latro, suppellectilem eiusmodi sententias appellans. Vide cap. 5. lib. 8.

Plurimum] IIII. Thesisum & locorum communium tractatio, cum confirmationibus & confutationibus. Quæ sunt de simplicibus materijs coniuncta exercitia.

Nam ni] Simples & tenues materiae utiliores sunt ad exercitationem, quam circumstantiarum uarietate locupletes.

Fundere &c.] Id est, dilatare exilia.

Θέσας diximus] lib. 3. cap. 5. Infinitæ sunt, quæ remotis personis & temporibus & locis, cæterisque similibus, in utramque partem tractantur, quod Græci θέσας dicunt, Cicero propositum, alij quæstiones uniuersales ciuiles, alij quæstiones Philosopho conuenientes, Athenæus partem causse appellat &c.

Oratoribus] lib. 2. Non laus ac uituperatio

tio certaminibus illis frequenter inseritur? non communes loci? siue qui sint in uitia directi, quales legimus à Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi à Q. quoque Hortensio, ut sit ne paruis argumentis credendum, & pro testibus & in testes, in medijs litium medullis uersantur.

Flexus] Circumstantiarum, id est, materias simplices & ieiunas.

Abundabit] Id est, ille erit copiosior in materijs multiplicibus.

Omnes &c] Ergo instructos esse nos oportet, & confirmatos hoc genere exercitationis, ut causam seu hypothesein ad thesin traducere commode possimus, quod frequenter præcipit Cicero.

Cornelius] Vide Asconium Pedianum, nam oratio illa Ciceronis non extat.

Cato Martiam] Martij Philippi filia Catoni Vticensi nupserat, quam ille petenti Hortensio concessit uxorem, cum iam ex ea tres liberos suscepisset, autore Plutarcho, eandem mortuo Hortensio rediisse ad Catonem scribit Lucanus lib. 2.

Declamat] V. Declamationes, de quibus lib. 2, cap. 10.

Quæ

Quapropter] VI. Historiæ. VII. Dialo-
gi. VIII. Carmina. Quæ quidem exercitia,
etsi non propriè instruunt Oratorem ad seria
certamina, alunt tamen dicendi facultatem, &
sicut apud ueteres, propter eloquendi quan-
dam rationem ab illa forensi diuersam, partius
his uti conueniebat, ita nobis id facere liberius
permittitur, cum sit alius nunc horum studio-
rum finis, quàm qui olim fuit.

Contrarium fuerit] Id est, non aduersabi-
tur utilitati Oratoris. Idem præcipit alia usus
similitudine Plinius ad Corn. Fuscum. Scio nũc
tibi esse præcipuum studium orandi, sed non
ideo semper pugnacem hunc, & quasi bellato-
rium stylum suaferim: ut enim terræ uarijs mu-
tatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac
nunc illa meditatione recoluntur &c.

Certa necessitate] Athletæ lege quadam ci-
borum & certa ratione uictus corpora firmio-
ra reddebant. Eiusmodi cibum athletarum Ari-
stoteles lib. 8. Polit. uoce eleganter composita
ἀναγκοφαγία nominat, quasi cibi sumendi
necessitatem, ut interpretatur Budæus. Panem
quo utebantur κωλίφιον appellabant, ἀπὸ τοῦ
κώλῃς καὶ τοῦ ἴφι. id est, à membrorum ro-
bore. Meminit Martialis libro 7. & Iuuenal.
Sat. 2.

Sed

Sed quemadmodum] IX. Verarum caussarum tractatio. Adolescentes non nimis diu in his exercitijs retinendi sunt, sed in forum deducendi, ut & imitentur agētes & iudiciorum certaminibus ipsi assuescant, & serias potius caussas, uerásque controuersias stylo persequantur.

Solem reformident] Seneca lib. 3. declamat: Agedum istos declamatores produc à senatu in forum, cum loco mutabuntur, uelut in assueta classe, & dilecta umbra corpora sub dio stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, uix se inueniunt, assueuerunt enim suo arbitrio disertis esse. Et lib. 5. controuersi. de ijsdem. Itaque uelut ex umbroso & obscuro prodeuntes loco, clarè lucis fulgor obcæcat, sic istos à scolis in forum transeuntes, omnia tanquam noua & inusitata perturbant.

Portius] Idem Seneca. Hoc quod uulgo narratur an uerum sit, tu melius potes scire. Declamatorie uirtutis Latronem Portium unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Portio propinquo suo diceret, usq; eo esse confusum, ut à Solœcismo inciperet: nec ante potuisse confirmari parietes desiderantem, quam impetrauit, ut iudicium ex foro in Basilicam transferretur.

Deligat]

Deligat] Cicer. lib. 1. de Orat.

Diximus] lib. 3. cap. 6.

Sestius] Quam orationem in Milonem cum recitaret Sestius, interfuisse se scribit Seneca. Eundem à Cicerone filio Asiam obtinente flagris cæsum fuisse, quod Ciceronem patrem literas ignorasse dixisset, Tradit idem Seneca lib. 1. Suasor.

Citius autem] Repræhensio rationis præposteræ in declamando.

Obstat] Causse illius uitij.

Sed quod] Modus tractandi materias integras.

IN CAPVT VI.

Cogitatio] Sub exercitio stili cogitationem quoque complectitur, quod est medium genus inter scriptionem & extemporalem dicendi facultatem. Ideoque usus eius frequentior, quia raro admodum tantum ocij aut temporis patronis conceditur, ut singulas causas præformare stylo possint, & res est plena periculi omnia fortuitæ dictioni permittere.

Adiuuatur] non alio auocantibus aut distrahentibus animum rebus, quæ luce in oculos incurrunt.

Sed ne ad] Quibus rationibus comparanda
& con

Et confirmanda sit cogitandi uis.

Forma] Id est, imago et uelut effigies orationis absolutæ.

Illum locum] Lib. 11. cap. 2.

Cicero] Lib. 2. de Orat. in Bruto. lib. 1. Tuscul. et lib. 4. Academ. Quæstio.

Sed si fortè] Non est adeo superstitiosè inherendum cogitatis, ut subito natis locum nullum relinquamus.

Color] Color Ciceroni ferè ornatum orationis significat, usurpatur quoque pro uelamento seu prætextu, Iuuen. Satyr. 6. Dic Quintiliane colorem. Et pro illo ipso quod medium defensionis uocant, Seneca lib. 2. declamat. Aridi declamatores fidelius tuentur colores quos proposuerunt.

Quare] Finis cogitationis.

Id aut] Non sunt singula sollicitæ ex memoria repetenda, sed animus potius intendendus in materiam, quàm in præcogitata.

IN CAPVT VL^o TIMVM.

Maximus uerò] Extemporalis dictio tertium est, et ultimum inter ea, quæ ad eloquendi habitum comparandum requiruntur. Pertinet autem

autem hoc genus magis ad exercitia ueterum, quàm ad nostra, quia rarius continua oratione extempore dicere cogimur, & commendationem ac laudem scribendo serè captamus. Et propterea omnem laborem exercendo stylo impendentes, huic quoque operi sufficere haud possumus, siue pigritia horum temporum, siue maiori nunc nobis in dicendo propter peregrinae linguae usum proposita difficultate. Quanquam utile est, ab hac quoque parte nos esse instructos, aut certè non omnino rudes. Et haec praecepta possunt ad quascunque subitas necessitates dicendi accommodari, quales frequentissimè incidere etiam extra hunc oratorium usum minime obscurum esse arbitror.

Extempore] Impremeditatè, subito quod uocabulum à Græcis, per imitationem Latini acceperunt, qui ἐκ καιροῦ καὶ ἐπὶ καιροῦ dicunt, hoc est, ἐκ τοῦ παρὰ χρόνον. Bud.

Quàm qui] Commendatio facilitatis dicendi extempore.

Renunciabit] Deponet seu relinquet, ciuilia officia.

Repraesentatis] subito coram quasi exhibitis extra ordinarijs iudicijs.

Id autem] Facultas extemporalis comparatur, primum arte, deinde studio. Ars ordinem rerum

rerum naturalem, & certa serie coherentem. Inventionis promptitudinem, & modum seu finem: diligens uerò & assidua exercitatio, uerborum ultro se offerentium copiam, atque usum quendam irrationalem suppeditabit.

Quo sit &c.] Id est, quid efficiendum oratione nostra & quomodo.

Iudicialium partes] Lib. 3. cap. 9. & ultimo.

Sed quid] Ordo rerum.

Serie] Id est, sequetur rerum inter se mutuo coherentium ordinem.

Deinde] Inuentio.

Aliunde] Quam ex rerum ipsarum serie.

Insistentes] Id est, perseuerantes. Simile.

Postremò] Modus.

Vltimum] Est enim uitiosum uel plura uel pauciora exequi, quam proposuimus, & signum ingenij immemoris. Cicer. lib. 1. de inuen. & in Brut.

Illa uerò] Orationis copia.

Fideli stylo] Cic. 1. de Orat. Qui à scribendi consuetudine, ad dicendum uenit, hanc affert facultatem, ut etiam subito si dicat, tamen illa quæ dicuntur, similia scriptorū esse uideantur.

Dicamus] Id est, exerceamus etiam extemporalem dictionem.

Sed ipsum coit] Id est, corpus orationis ex-

F

iccae

iccatur & arescit. Alij sed & *ὑάγκημα*, quo uocabulo stuporem significari notum est.

Quanquam] Non sufficit naturalis animi mobilitas, nisi multa exercitatione usum nobis parauerimus eiusmodi, ut intentio præcedens præoccupet ea, quæ dicenda sunt.

Prospectu] Id est, cogitatione.

Gradu] Id est, pronuntiatione.

Est igitur] Vsus irrationalis.

Ἀλογον ἔξις] Excitationem qualemcunque sine certa ratione aut arte.

Quem si] Extemporalis oratio interdum melior est, quàm meditata.

Cicero] Lib. 1. de Oratore.

Quare] Alia adminicula. I. Conceptæ rerum imagines. Nam illæ concitant atque impellunt animum.

Vocari *φαντασίας*] Lib. 6. cap. 3. Quas *φαντασίας* Græci uocant, nos sanè uisiones appellemus, per quas imagines rerum absentium ita representantur animo, ut eas cernere oculis, & præsentibus habere uideamur.

Pectus] Animus ardens & consideratus.

Affectu] Velut ira. Ideoque Iuuenalis inquit, Si natura negat facit indignatio uersum.

Tum] II. Intentio.

Addit] III. pudor, spes gloriæ, & frequentia

tia

tia auditorum, Iuxta illud Ouid. in 4. de Ponto.

Laudat áque uirtus

Crescit & immensum gloria calcar habet.

Item:

Et facunda facit pectora laudis amor.

Præmium] Liuius, Eò impenditur labor & periculum, unde emolumentum & honor speratur: Nihil non aggressuri sunt homines, si magnis conatis, magna præmia præponantur.

Nec quisquam] Vsu paulatim ad summum perducenda est hæc facultas, eique non nimis fidendum.

Cum hanc] Possibile probat ab exemplis ex maiori, Imitatione Ciceronis, qui sic argumentatur in 3. de Oratore. Quod si Antipater ille Sidonius solitus est uersus hexametros, aliosque uarijs modis, atque numeris fundere ex tempore: tantumque hominis ingeniosi ac memoris ualuit exercitatio, ut cum se mente ac uoluntate coniecisset in uersum, uerba sequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione & consuetudine adhibita consequemur.

Licinius] In Oratione pro Archia. Quoties ego hunc Archiam uidi Iudices, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum uersuum, de ijs ipsis rebus, quæ tum agebantur dicere extempore? quotiens reuo-

catum eandem rem dicere commutatis uerbis atque sententijs?

Didicerit] A litigatore. Atque inter eam ipsam moram, quam cognitioni causse impendit, est aliquis etiam cogitandi locus.

Declamatores] Repræhendit temeritatem declamatorum, qui instructi locis communibus nulla cogitationis mora interposita, subito ad dicendum prorumpent.

Controuersia] Id est, proposito themate, quod continebat controuersiam, de qua dicendum erat, qualia uidemus præfixa declamationibus Quintiliani, & extant plurima apud Senecam.

Si qua tamen] Subito proposita dicendi necessitate, de reb. magis, quàm de uerbis solliciti simus.

Tum &] Tardior in initijs pronuntiatio adiuuet intentionem.

Deliberare] Id est, non sit interrupta oratio, sed sensim quasi progrediendo cõtinuetur.

Egredimur] Id est, antequam colligamus nos ipsos, atque animo confirmato prospicere possimus futurum cursum orationis.

Sed non minore] Assidua ac perpetua & uaria exercitatione opus est, ut semel acquisitam facultatem dicendi retineamus.

Capitur

Capitur] Id est, auffertur. Exemplar emēda-
tum à D. Ioachimo Camerario rapitur habet.

Soliciti] Timor est enim emendator acer-
rimus. Plin.

Est &] Cogitatio.

Studendum] Continuatio studiorum.

Vbique] Quod Plinius Secundus fecisse me-
moratur, cum omne perire tempus diceret,
quod studio non impenderetur.

Cicero] De claris Oratoribus.

Ne id quidem] Sermo non negligens.

Scribendum] Stylus. Tum præcipuè scri-
bendum est, cum quamplurimum dicimus, &
luxuries orationis multò stylo depascenda est,
Alioquin sæpe dicendo euenit, ut prauè dica-
mus, Meminit Cicero in 2. de Oratore.

Altum] Id est, in profundum radices aget,
nec erit inanis garrulitas.

Sicut] Similitudo à uinitoribus.

Deprehensus] Oppressus, conclusus, ita ut
elabi nequeat, quin caussa cadat.

Plerunque] De commentarijs caussarum.
Erat artem Commentarium libellus continens
summa caussæ capita, aut quosdam illustriores
locos. Cicer. in Bruto. Ipsa illa censoria contra
Cn. Domitium collegam non est oratio, sed

84
quasi capita rerum & orationis commentarium
paulo plenius. meminit & libro 2.

Lenas] Popilius, qui scripsit de arte Rhetorica lib. 3. cap. 1.


FINIS.

136770

X 1378946

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



M. FABII
 VINTILIANI
 LIBER DECIMVS, EX-
 PPLICATVS STUDIO ET
 INDVSTRIA

CASPARIS
 LANDSIDELII LL^z
 PSICI.



XCVDEBATOR LL^z
 PSIAE A VALENTI^z
 NO PAPA.

ANNO
 M. D. XLVIII.

